NOVVS COMMENTARIVS IN ÆQVATOREM PLANETARVM.

PRIOR FABRICAM ÆQVATORIS COMPLECTITVR, POSTERIOR, VSVM atque vtilitatem, hoc est, veros motus, ac passiones in zodiaci decursu contingentes, æquatoris ministerio inuestigare docet: ex optimis Authorum tam veterum, quàm recentiorum Scriptis, deprompta Methodus.

AVTHORE FRANCISCO SARZOSIO
Mathematico Regio.



PARISIIS,
Apud Bartholomæum Macæum, in monte D. Hilarij, sub scuto Britanniæ.
M. D. LXXXXI.

Diose á la Librería del Convento
Diego de Sevilla

fr. Juan Conejero ler.r Juan ... Mmo Provl.

AD MAGNIFICENTISSIMVM DOMINVM IOANNEM à Nuça, Aragoniæ proregem, Francisci Sarzosi Cellani in æquatorem planetarum, Præfatio.


CHaldæos, Aegyptios, atq; Arabes, astronomia apud omnes gentes, celebres fuisse illustrissime princeps, è certissimis scriptorum monumentis accepimus. Vnde videtur siderum ratio quondam, siue vtilitate, siue voluptate studẽtium, commẽdata fuisse mortalibus. Hæc, Atlanti nomen perpetuum: hæc, Herculi duodecim laborum gloriam peperisse creditur: hac, Sulpitius apud Romanos, Pauli exercitu eclipsis formidine liberato, immortalem gloriam meruit. Eadem quoq; ratione, Thales & Hipparchus in Græcia, insigne nomen adepti. Nec priuatis tantũ hominibus, sed regibus quoq; ipsis, in mundi administratione occupatis, eam disciplinam curæ fuisse, Ptolemæi, & Alfonsi, eruditi labores testantur. Atqui, si aliquo tempore, quòd vsum rebus humanis attulerit, in honore fuit: nostro certe, vel hoc solo, illustrissima esse debet: quòd ea duce, remotissimæ nationes veteribus ignotæ, non cognoscuntur modo, sed frequenti quoq; nauigatione, à nostris hominibus adeuntur. Iam & astrolabi, & plæraque alia instrumenta (quibus & stellas ipsas, & stellarum, vrbiumq; distantias, solis quoque cursum, *definitis* prope *momentis deprehendimus*) & *certissima* sunt, & hoc æuo frequen*tissima*. Quæ ipse, impellente ad id rerum nouarum desiderio, auide disquirens, in astrolabum forte incidi, longe omnium (quos ante videre contigerat) meo iudicio præstantissimum. Qui Alfonsi tabulas mira breuitate præuertens, supputatione multo facillima, omnium planetarum motus ostendit. Cuius insignis forma, & authoris ingenium, & artificis manus, non sine vtriusque eximia laude indicabat. Cumq; de his nihil esset literis proditum: latebant in tenebris, nemini (quòd ipse scirem) adhuc nota. Mouit itaque me ad scribendum, non tam aucupandi nominis ratio, quod in argumento minus difficili, & magis amplo potuit contingere, quàm communis studentium vtilitas. Quæ (si modo fabricam & vsum doceremus) nõ exigua fore videbatur. Quanta porrò sit futura, legentium sit iudicium. Nostra quidem temeritas, æquatoris planetarum structuram & vsum, his duobus libris, non sine publica vtilitate, præstitisse sibi persuadet. Quòd vero tibi princeps clarissime, hoc, quantulumcunque laboris nostri potissimum cõsecrauerim, multis argumẽtis ad id me impulsum, vellem existimes. Nam, & ista tua in literatos omnes procliuis facilitas, & ingenua beneuolentia, poterant literatissimum quenque in hoc adigere: vt tibi in primis, suas dicaret vigilias: cuius se, & beneficijs, & gratia, multum nominis assecuturum consideret. Magna hæc: & si quis, tui generosi animi indolem curiosius contempletur: maxima certe iudicanda. Sed nec hoc omnino impulit: quanquam, & ipsum fuit incitamento. Sed quum opusculum nostrum, vllam gratiam apud literatos inire posse, sua tantum authoritate diffiderem: sub tuo nomine publicari maxime volui: quod, & dignitatem

volumini, & legendi auiditatem lectoribus, & rerum(quæ hic continetur) difficultati facilitatem adijciet: formidinem quoq; detractoribus (si qui forte fuerint) incutiet. Nam, vt in confesso est: optimos quosq; scriptores omni seculo vexauit inuidia. Consules igitur boni studiorum primitias hominis tibi deuoti, atque ex animo offerētis. Nec mihi verendum puto: ne ad te reipublicæ negocijs occupatissimum (vt cuius solicitudine Aragonum res administrentur) nostro libello pateat aditus. Nam, quamuis altiora & magis insignia, in tuis quotidie manibus versentur: iubebis, pro ista tua humanitate, inter magnarum rerum turbam, opusculum nostrū ad te introire: quippe sic soles, quum iura populis dicis: aut quum de re quapiam disceptantes audis: inter diuites & equestris ordinis homines, pauperes quoque ac plebeios, citra discrimen admittere. Quod præclarum iustitiæ opus, à nostro Cæsare inuictissimo, cum ingenti humani generis lætitia (vt audio) factitatum, vos proceres imitamini. Quod si (vt spero) feceris: mihi præmium ingens: & studiosis omnibus ad optima quæque audenda, non paruos admouebis aculeos.

FRANCISCI SARZOSI CELLANI LIBER PRIMVS, FABRICAM AEQVATORIS COMPLECTENS.

De fabrica orbis planetas deferentis. Problema 1.


IGITVR STRVCTVRAM INGREDIENTI, duæ æquatoris partes potissimum offeruntur: orbis scilicet planetas deferens, tympanumq; zodiacorũ. At, quoniam plæraq; ad tympani descriptionem attingẽtia, necesse est ignorare, nisi deferẽtis structuram antè cognoueris: ipsa, operi nostro initium dabit. Structurus igitur deferẽtem, æris, aurichalci, cupri, papyri've materiam vndiq; cõplanatam accipies: in qua circulum occultũ in centro a ducito, ad eam quantitatem, ad quam, æquatorem fabricare volueris: quem in sex partes secabis: idq; facile, cum, ex 15 quarti Euclidis, semidiameter circuli, chorda sit sextæ partis eiusdem. Eiusq; diuisiones elementis b c d e f g signabis: à quibus tres diametros b a e, & c a f, & d a g, protrahes. Circinum deinde, ad septimam partem semidiametri comprime: cuius pedem mobilem in puncto b, immobilem vero in puncto h collocans, super lineam b a figito: ad cuius quantitatem circulum occultum designabis. Postea, circinum ad tertiam partem semidiametri b a extendens, pedémq; illius mobilem in puncto h, immobilem vero in linea h a infigens, circulum etiam occultũ protrahes: à quo exiguus ille circulus, nuper protractus in punctis i k secabitur. Similes etiam circulos, in semidiametro d a, sese in l m secantes: in semidiametro quoque f a, in n o se diuidentes lineato. Rursus, ad quartam partem semidiametri b a circinum aperiens, eius altero pede in centro a fixo, altero circumacto, circulum occultum ducito: qui circulum i h k in punctis p q, & semidiametrum c a, in puncto r, & circulum l m, in punctis f s, & semidiametrum e a, in puncto t, & circulum n o, in punctis v u, & semidiametrum g a, in pũcto x, secabit. Præterea, circino multo arctius compresso, alterum eius pedem in c, cum posueris, altero signum A, inter c b reponito. Simili modo in e fixo circino, inter e d, B punctus collocetur: C, quoque inter g f, hærente tamen in g circino, designetur. Cæterum, à puncto q ad A: & ab s, ad B: & ab u, ad C, lineas rectas protendito. Postremo, superfluas partes, b k q A, & c r f l d, & d m s B, & e t v n f, & f o u C, & g x p i b abscindito. Sciẽdum tamen, nos, cum illos circulos iuxta certas quantitates ex b a semidiametro desumptas circinauimus, minime voluisse, vt ea ratione, circulis esset definita mensura seruanda: maior enim & minor esse potest: at in illa magnitudine, deferenti venustatem, & ad diuturnitatem robur addere voluimus. Nec prætereundum est, tres illas partes, quibus epicicli deuehuntur, tetragona quoque figura, nullo facto discrimine fabricari potuisse: fuit tamen visum consentaneum, vt qui epiciclos deferrent, epiciclorum figura donarentur. Sed de deferentis fabrica iam satis multa.




¶ Descriptio circulorum epiciclos repræsentantium: in quibus signa & gradus argumenti inscribentur. Problema 2.

Irculum paulo maiorem eo, cuius semidiameter, in superiori problemate tertiam semidiametri b a partẽ continebat. In alia, à deferentis materia protrahe: deinde paululum contracto circino, secundum circulum ducito: inter quem & primum, singulos argumenti gradus describes.

Cum rursus circinum contraxeris, tertius circulus circinetur: inter quem &
secundum, numeri graduum, quinq;, decémve sese superantes designentur.
Postremo, circino compresso, quartum circulum cæteris minorem protrahi=
to: in huiusq; & tertij medio, signorum numeri excipiãtur. Circuli quidem
ipsi diuidantur in partes sexaginta, hoc ordine. Primo, in duodecim partes,
regulã pòst, centro & cuiq; diuisioni adiungẽs, ab vltimo circulo ad primũ,
lineã rectã protrahes. Mox, duodecimã quãq; partẽ, in sex partes diuidito:
& regula, centro & diuisionibus vt prius admota, à tertio circulo ad primũ,
lineas duces. Postremo, quãq; harũ partiũ, in quinq; secabis: & regula, cẽtro
& diuisionibus rursus applicata, à secũdo circulo ad primũ, lineã rectã pro=
duces. & ita circulũ, epiciclum, repræsentantem, in signa & argumẽti gradus
diuisisti. Tres similes epicicli fabricentur: quorum primum Luna, duos po
stremos cæteri planetæ sibi vẽdicent: qui in medijs deferentiũ partibus assi=
dentes, per canales quosdam seu rimulas, ad centrũ mundi nũc accedant, nũc
ab eo recedant: nõnunq̃ circumacti mouẽatur. Adnotabimus tamen, nume=
ros graduũ & signorũ, in Lunæ & aliorum planetarum epiciclis, dissimili
modo inscribẽdos esse. Mouetur siquidem Luna in superiori parte epicicli,
contra signorum successionem primi mobilis. reliqui vero planetæ, in eadem
superiori parte secũdum successionem. Quare in Luna, à linea augis mediæ
epicicli dextram versus, numeros signorum & graduũ inscribes: in aliorum
vero planetarum epiciclis, à linea augis mediæ sinistrã versus, eosdem nume
ros designabis. Hos nempe circulos, cũ vices habeant epiciclorum (licet veri
non sint) epiciclos tamen vocamus. q; si percontetur quispiã, cũ nam in epi=
ciclis veris signa & gradus argumenti non inscribũtur? Is intelligat: Lunæ,
Iouis, & Saturni exiguos epiciclos, præ paruitate, impedimento esse: quo=
rum vice, ponẽtur ostẽsores: horũmq;, cũ oportuerit, nil desiderabis: qui cũ
epiciclis adulterinis affigentur: vt illorum quencunq; motum, siue ascensu,
siue descensu, seu deniq; circuitu sequãtur. In his quoq; ostensoribus, plane=
tarũ centra signabũtur, iuxta proportiones à Ptolemæo, & Ioanne de mon=
te regio obseruatas. Sed quoniam de his multis verbis iamiam differemus:
in illud tempus remitto. Nunc vero quod diximus, figuris ipsis conspicito.








❡ De circulo minutorum proportionalium & æquationum centri Lunæ. Problema 3.

NVnc reliquum est: vt de quibusdam circulis in ipso deferente describendis, in quibus minuta proportionalia & æquationes centrorum notabuntur, disseramus: atq; ita, tota fabrica deferentis absoluitur. Et quia ascendenti, prima Luna occurrit: ab ipsius circulo minutorum proportionalium & æquationum auspicabimur. Constructo itaq; planetas deferente iuxta primum problema, ex multitudine illa literarum, quæ partes ipsius signabant: illas tantũ relinque, quæ in extremitatibus diametrorum, & in centro ponebantur. Circulum igitur Lunæ descripturus,




augis lineam (vt linea, quæ in minuta proportionalia secabitur, innotescat) hoc modo inuestigabis. Circinum, ad quãtitatem semidiametri epicycli, in superiori problemate descripti, extendens, eiusq; alterum pedem in puncto b figens, altero, in linea b a, notam in puncto h facito: quo in h manente, alterum circumagens, in linea h a, notam in puncto i signato. vt in figura præcedenti plane dignoscitur.

Inuentio lineæ augis Lunæ.

¶ Dico, lineam minutorum proportionaliũ, sumendam esse, per proportionem ad h a. Vult enim Ptolemæus, in quarto capite quintæ dictionis Almagesti: & Ioannes de mõte regio, in 6 propositione quinti libri epithomatum. vbi linea, à centro mũdi ad centrũ epicycli, in auge sui eccentrici collocati, sexaginta partes contineat, eccentricitatem, decem partes & nouemdecim minuta cõtinere: quæ duplicata, lineam in minuta proportionalia diuidendam colligit. Lineam igitur h a, in sexaginta partes diuidens, ex illis, viginti partes triginta octo minuta (quæ eccentricitatem duplicatam complent) accipito. Hanc rursus eccentricitatem duplicatam, in sexaginta partes diuide: eritq; sexagesima quæq; pars, proportionale minutum. Nam si excessus augis lineæ, ad lineam oppositi, (qui duplicatæ eccentricitati est æqualis) in sexaginta partes diuidatur. vnaquæq; pars, minutum proportionale, nuncupabitur. Sed ne has diuisiones quæritando, æquatorium deformes: æquales lineas alibi protractas, diuidito: quarũ partes, officio circini, ad instrumentum transferre poteris, modo, quem statim subijciemus. Duo tamen in transferendis minutis proportionalibus maxime requiruntur. Linea illa, quæ ex duplicata eccentricitate conflatur, in sexaginta partes diuisa: ac tabella quædam, in qua, quot minuta proportionalia, signo cuique, & denis quibusque gradibus centri correspondeant, cognoscamus. Cuius ita se habet dispositio: vt signa, & gradus, ab auge ad oppositũ, in latere sint sinistro: quę vero, ab opposito augis ad augem, in dextro: minuta vero, tam his q̃ illis correspondentia, in area tabellę, sub titulo minutorum proportionaliũ reperiantur. Placuit in præsenti tabella, non tantũ minuta, quæ signis, sed etiã, quæ gradibus correspõdent, adnotare: vt si quispiam, tãtæ magnitudinis expetat instrumẽtum, vt in eo facile etiã sit, minuta graduũ describere, nostra hæc institutio quoque satisfaceret. Per hanc tabellã, plane dignosces, tria minuta proportionalia primo & vndecimo signis correspondere: quæ officio circini, ex eccẽtricitate duplicata, in sexaginta partes diuisa, sumito: & circino inuariato, alterũ eius pedem in pũcto i figẽs, altero in linea i a, notã facito: quæ, nota minutorũ proportionalium primi & vndecimi signi appellabitur. Cęterũ ex eadẽ eccentrici-

De modo inuestigãdi eccẽtricitatẽ, ac lineam in minuta proportionalia diuidẽdam.






Ab auge ad oppositum.		Tabella minutorum proportionalium.	Ab opposito augis ad augem.	
Sig	gd.	m. pr.	Sig	gd.
0	10	00	11	20
0	20	02	11	10
1	00	3	11	00
1	10	5	10	20
1	20	9	10	10
2	00	12	10	00
2	10	17	9	20
2	20	22	9	10
3	00	26	9	00
3	10	32	8	20
3	20	37	8	10
4	00	43	8	00
4	10	47	7	20
4	20	52	7	10
5	00	55	7	00
5	10	58	6	20
5	20	59	6	10
6	00	60	6	00

Designare minuta proportionalia in linea i a.


tate duplicata, duodecim ſume partes: quæ, vt indicat tabella, ſecundo & decimo ſigno correſpondent: & pedem circini, in i figens, altero in linea i a, punctum ſignato: qui, ſecundo & decimo ſigno attribuitur. Rurſus, ex eadem eccentricitate duplicata, vigintiſex partes collige: quæ, tertio & nono ſigno correſpondebunt: & circino, vt antè minime variato, alterum eius pedem in i collocans, altero in linea i a notam facito: quæ, tertij & noni ſigni nota dicetur. Et hunc modum ſequutus, reliqua minuta, cæteris ſignis diſtribuere poteris: vt in figura ſequenti factum conſpicies.




Supereſt, æquationes centri deſignemus: quod quàmfacillime fiet, ſi prius tabellam æquationum centri deſcripſerimus: qua, quot gradus æquationis centri, cuique ſigno & gradibus denis correſpondeant, cognoſcamus. Cum ergo æquationes centri deſcribere volueris: circinum, ad quantitatem ſemidiametri epicycli extendito: cuius pedem mobilem, in puncto ſeu nota minutorũ proportionalium primi & vndecimi ſigni conſtituens, immobilem in linea b i figito: eóque fixo manente, arcum occultum per punctum minutorum proportionaliũ primi & vndecimi ſigni tranſeuntem duces. Deinde circino inuariato, alterũ eius pedem, in puncto ſeu nota minutorum proportionalium ſecundi & decimi ſigni, alterum, in linea b i collocans, arcum per pũctum minutorum proportionalium ſecundi & decimi ſigni circinabis. Non aliter, per puncta ſeu notas minutorum proportionalium aliorum ſignorum, circinationes protrahes. Officio deinde circini, quatuor gradus & viginti tria minuta, primo & vndecimo ſigno, iuxta æquationum tabellam, correſpondentia, in limbo epicycli comprehendito: móxque, circini centrum, in puncto minutorum proportionalium primi & vndecimi ſigni conſtituens, in vtranque partem arcus occulti paulo antè deducti, puncta conſtitue. Rurſus, officio etiam circini, ex limbo epicycli octo gradus & triginta ſex minuta (quę ſecundo & decimo ſigno correſpondent) accipe: & pedem circini, in puncto minutorum proportionalium ſecundi & decimi ſigni poſito, in vtranque partem, notam in arcu occulto ſignabis. Atque, ex hoc documento, aliorum ſignorum æquationes quoque adnotabis. Poſtremo, arcus punctis æquationum intercepti (qui, antea occulti dicebantur) deſcriptis modo lineis, fiant manifeſti: vbi quoque cernere poteris, puncta (quibus æquationes terminantur) oualem quaſi figuram (ſi per puncta ducantur arcus) reddidiſſe. Scribantur autem ſignorum numeri, hoc ordine. Oſtenſorem a e pectori adiungens, in primo æquationum puncto, ad ſiniſtram flectens, literæ i proximo, ponito vnitatem: reliqui numeri, ſua ſerie alijs æquationum punctis incubantes, deſignentur: cum ad elementum i, vnde exiſti, redieris: illi, quam vocant cifram, inſcribito: quorum omnium veram imaginem accipito.

Æquatiões Lunæ deſignare.

Ab auge ad oppoſitum.		Tabella æquationum centri Lunæ.		Ab oppoſito ad augem.	
Sig	gd.	gd.	m	Sig	gd.
0	0	0	00	0	0
0	10	1	29	11	20
0	20	2	57	11	10
1	00	4	23	11	00
1	10	5	50	10	20
1	20	7	15	10	10
2	00	8	36	10	00
2	10	9	52	9	20
2	20	11	2	9	10
3	00	12	00	9	00
3	10	12	42	8	20
3	20	13	5	8	10
4	00	13	4	8	00
4	10	12	30	7	20
4	20	11	11	7	10
5	00	9	22	7	00
5	10	6	39	6	20
5	20	3	32	6	10
6	00	0	00	6	00





Ostensoris epicycli fabrica.

℄Aliam deinde materiam, vno digito latam accipiens, epicycli Lunæ ostensorem ita cõstrues. primo, super centro a, ad materiæ latitudinem, circulum cum produxeris, protrahe mox lineam à centro a, pro semidiametri epicycli quantitate, ad c punctum extensam: à qua secabitur circulus in pũcto b. Rursus, in a hærente circini centro, protenso altero vsque ad c, exiguum arcum c d lineabis ad dextram si mauis, aut sinistram. A puncto præterea d, ad circuli periferiam, d e linea contingens producatur. quo perfecto, iam tibi Lunæ ostensorem a b c d e descripsisti: cuius superfluas partes, quàm rectissime fieri poterit, amputato. Ex linea demũ h a, in sexaginta partes antè diuisa, quinque partes circini ministerio accipe: eóque inuariato, alterum pedem in a figens, altero in linea a b c, centrum Lunæ depingito. teste Pto-


lemæo in capite quarto quintæ dictionis,quinq; partes & quindecim minuta continet semidiameter epicycli,si linea à centro mundi ad centrum epicycli in auge positi,sexaginta contineat. Testatur idem Ioannes de monte regio,propositione nona quarti libri epithomatis. Hærēte deinde altero circini pede in centro Lunæ,altero plurimum contracto,exiguũ circulum,Lunam referentem,circinato:vt in ostensore factum vides. Demum,in Lunæ deferente, in linea scilicet b a, rimulam paulo longiorem eccentricitate duplicata conficies: per quam epicyclus,& ostensor affixi, ascendere,descendere,& versari,secundum signa & gradus centri facile possint:vt in secundo libro latissime docebimus. Quod cum perfeceris,Lunę deferentē,quem struere conabaris,fabricasti:vt præcedens figura plane docuit.

Ptolemæo teste.

Ioannes de mõte regio

¶ Descriptio circuli minutorum proportionalium & æquationum centri Mercurij. Problema 4.

DE Luna iam satis, progrediamur ad Mercurium: cuius circulum minutorum proportionalium & æquationum fabricaturus,partem d a vice deferentis accipiat:& circinum ad quantitatem semidiametri epicycli extendens, alterum eius pedem in puncto d collocans,altero immobili in linea d a punctum faciat:cui literam k adiungat:& eodem pede in k fixo, altero circumacto, in linea k a punctum l constituat. Dico, per proportionem ad lineam k a, sumendam esse lineam, in minuta proportionalia diuidendam:eam igitur,in sexaginta partes dispertiat. Aut,cum æqualis sit lineæ h a, in superiori problemate diuisæ: eius diuisiones, ad ea, quæ in hoc problemate sunt describenda,accommodabit. Sed quia minuta proportionalia Mercurij, Veneris, Martis, Iouis, Saturni, duplicia sunt,longiora scilicet,& breuiora:non parum refert intelligere, quæ linea, in minuta proportionalia longiora, quæ've, in propiora diuidenda sit: quarum altera,alteri æquam esse in omnibus planetis præter quàm in Mercurio,satis constat. Vt enim docet theorica,in Venere & tribus superioribus, linea à centro mundi ad augem deferentis protensa, longior est quàm linea, ab eodem centro ad longitudinem mediam deferentis educta:& excessus illius ad hanc, in sexaginta particulas æquales partitus, minuta proportionalia longiora reddit. Linea pariter,à centro mundi ad longitudinem deferentis mediam producta,longior est quàm linea,quæ ab eodem centro ad oppositum augis protēditur:superatioq; illius ad istam,in æquas sexaginta partes diuisa,minuta propiora constituit. In Mercurio quoq;,linea à centro mundi,ad centrum epicycli positi in auge æquantis,maior est quàm linea,à centro mundi ad longitudinem eius mediam deducta. Quæ quidem longitudo media longe alter, quàm in alijs planetis contingit: quippe, cum epicycli centrum ab auge æquantis per duo signa,quatuor gradus,& triginta minuta distungitur:in cæteris vero planetis,cum centrum epicycli, ab auge deferentis per tria signa ferè distiterit. Itaque,superatio lineæ longioris ad mediam in sexaginta partes diuisa, efficit minuta proportionalia longiora: linea quoque, à centro mundi ad longitudinem mediam protensa,maior est quàm linea,quę



Duplicia minuta pporꝰtionalia quique planetarum.

Quid minuta longiora.

Quid minuta propiora

ab eodem centro, ad centrum epicycli, in minima eius remotione positi educitur: &, ex illius supra hanc superatione in partes sexaginta dissecta, minuta propiora redduntur. Minima quidem illa remotio a centro mundi, non in opposito augis, vt in alijs planetis: sed centro epicycli ab æquantis auge per quatuor signa distante contingit. Est hic aduertendum, longitudinem mediam vocari à Ptolemæo deferentis semidiametrum: hac fortasse ratione, q̃ æqualis sit lineæ à centro mundi eductæ, ad centrum epicycli distantis ab auge æquantis per duo signa, quatuor gradus, & triginta minuta. Ad hanc enim sententiam inquit, capite decimo vndecimæ dictionis Almagesti: si linea longitudinis mediocris, quæ reperitur per comparationem ad lineam egredientem à centro orbis egredientis centri deferentis orbem reuolutionis, sexaginta continet partes: longitudo longior, sexagintanouem complebit: propior vero, quinquagintaquinque partes & trigintaquatuor minuta. Altius tamen repetens ex eodem libro, Ptolemæi verba hic adscribam.

Ptolemæus

» Nos enim iam demonstrauimus: quod secundum partes, quibus linea, quæ est à centro orbis reuolutionis Saturni, est sex partes & sexaginta minuta, & stellæ Iouis vndecim partes & triginta minuta, & stellæ Martis trigintanouem partes & triginta minuta, & stellæ Veneris quadragintatres partes & decem minuta, & stellæ Mercurij vigintiduæ partes & triginta minuta, est longitudo omnium earum media, sexaginta partes: scilicet longitudo, quæ reperitur per comparationem ad lineam egredientem à centro orbis egredientis centri deferētis orbem reuolutionis. Et quòd maior longitudo earum, secundum centrum orbis signorum, in stella quidem Saturni, est sexagintatres partes & vigintiquinque minuta, & in stella Iouis, sexagintaduæ partes & quadragintaquinque minuta, & in stella Martis, sexagintasex partes, & in stella Veneris, vna & sexaginta partes & quindecim minuta, & in stella Mercurij, sexagintanouem partes. Et quòd minor longitudo earum secundum illud exemplum, in stella Saturni, est quinquagintasex partes, & trigintaquinque minuta, & in stella Iouis, quinquagintaseptem partes & quindecim minuta, & in stella Martis, quinquagintaquatuor partes, & in stella Veneris, quinquagintaocto partes & quadragintaquinque minuta, & in stella Mercurij, quinquagintaquinque partes, & trigintaquatuor minuta: hæc ille. Ex his omnibus plane colligimus, in Venere & tribus superioribus, lineam in minuta longiora diuidendam æqualem esse ei, quæ in propiora diuiditur. In Mercurio pariter, lineam minutorum longiorum maiorem esse ea, quæ in minuta propiora consumitur. At, quoniam lineam k a, longitudinem scilicet longiorem in sexaginta tantum partes diuisimus: mediocri, quinquagintaduas partes & decem fere minuta: & propiori, quadragintaocto partes & nouemdecim fere minuta tribuamus, necesse est. Si igitur quinquagintaduas partes & decem minuta, à sexaginta subtraxeris, septem partes cum quinquaginta minutis supererunt; quas, officio circini ex linea k a superius diuisa accipito: acceptas, in sexaginta particulas ad minuta longiora conficienda diuidito. Eas circini ministerio, ac tabellæ minutorum proportionalium, ad lineam l a (quemadmodum in Luna) transferto.

In Mercurio linea minutorũ longiorũ maior est q̃ propiorũ. Nota quãtitates triũ linearũ, lõgitudinis scilicet longioris, propioris, & mediocris.

¶ Est tamen in hac minutorum tabella, quod & in aliјs quoq; obseruatur, in minutis longioribus sumendis, hæc adnotanda præceptio: ne tot scilicet, quot è regione primi & vndecimi signi obijciũtur, accipiamus: sed ea potius, quæ illic sunt obiecta, à sexaginta subtrahamus: & sexdecim, quę supersunt, primo & vndecimo signo accommodemus: idem quoq;, in secundo & decimo signis, necnon & in gradibus obseruabitur. In minutis vero propioribus, ea, quæ è regione correspondent, ex linea minutorum propiorũ diuidẽda in sexaginta partes, sumenda sunt: cuius rei rationem in theorica facile deprehẽdes. Cum igitur, linea minutorum longiorum in sexaginta partes diuisa fuerit: sexdecim officio circini sumito: cuius alterum pedem in puncto l figens, altero in linea l a notam facito: quæ, minutorum primi & vndecimi signi nota dicetur. Ex eadem mox linea minutorũ lõgiorum, quinquagintatres partes circini ministerio sumens, & alterum circini pedem in l ponens, altero in linea l a pũctum seu notam secundi & decimi signi describito. Deinde, lineam propiorem à mediocri, scilicet quadragintaocto partes & nouemdecim minuta, à quinquaginta duabus partibus & decem minutis subtrahe: quod reliquum est, tres partes, vnum & quinquaginta minuta, officio circini ex linea k a superius diuisa accipies: alteróq; circini pede, vbi linea minutorũ longiorũ terminatur hærente, ei lineæ secundũ longitudinem, lineam minutorũ propiorũ coniunges.† Quòd si fieri possit, in sexaginta partes ad cõficienda minuta proportionalia propiora diuidatur. quòd si non liceat, in tot secetur, vt minuta propiora, iuxta æstimationem, saltem possit reddere. Figens deinde circini pedem alterum in initio lineæ minutorum longiorum, alterum, ad quadragesimamquartã partem lineæ minutorum propiorũ protende: ac mox, circini altero pede hærente in puncto l, alter in linea l a, tertij & noni signi notam describat. Adhæc, figatur circini pes in ipsius lineæ minutorum longiorum principio, altero ad partẽ sexagesimã minutorũ propiorũ extento: & tunc circini centro in l puncto cõstituto, alter in linea l a designet quarti & octaui signi notã: & hac obseruatione, reliquis signis sua minuta proportionalia redduntur. Vnde fit manifestum, tertij & noni signi minuta, ex septẽ lõgioribus & quadragintaquatuor propioribus constitui: cũ cæteris signis, aut tantũ propiora, aut tantũ longiora correspondeant. Quę omnia, in figura (quæ proxima tabellæ subijcitur) cõstituuntur.

Præceptio non aspernanda.


Ab auge ad oppositum.		Tabella minutorũ proportionalium. ☿			Ab opposito ad augem	
Signa	gradus		minuta lõgiora		Signa	gradus
0	0		60		0	0
0	10		57		11	20
0	20		53		11	10
1	00		44		11	00
1	10		33		10	20
1	20		20		10	10
2	00		7		10	00
2	10	ppi	10	ora	9	20
2	20		29		9	10
3	00		44		9	00
3	10		54		8	20
3	20		59		8	10
4	00		60		8	00
4	10		58		7	20
4	20		54		7	10
5	00		48		7	00
5	10		43		6	20
5	20		41		6	10
6	00		40		6	00

Minuta proportionalia adnotare.

Æquationũ deſcriptio.

¶ Acquationes vero centri, quo modo in Luna, ſic & hoc loco ſunt deſcribendæ: cognitis tamen in tabula æquationum centri Mercurij gradibus & minutis, cuique ſigno correſpondentibus. Cum igitur æquationes, quemadmodum in Luna hic quoq; deſcripſeris, à puncto l, ad punctum æquationis tertij ſigni, arcum per puncta æquationes primi & ſecundi ſigni terminãtia tranſeuntem ducito. cuius arcus terminus, puncto æquationes quarti ſigni terminanti, breui linea coniungatur. ab eodem quoq; l, ad noni ſigni punctum ſimilis arcus ducatur, per puncta vndecimi & decimi ſigni fluens: cuius extremitatem, puncto æquationes octaui ſigni finienti, breuis linea cõnectat. Conſtituatur deinde circini cẽtrum, in eius lineæ medio, quæ ex minutis longioribus ac propioribus conſtruitur: & pes alter circini ad l punctum contractus, circulum deſcribat: atque hoc circulo in duodecim partes æquas diuiſo (modo ſemidiameter d a pectori tuo incũbat) à puncto æquationis primi ſigni, in ſiniſtra, ad primam diuiſionem l in eadem parte proximam, ducatur arcus, circino ad quantitatem ſemidiametri epicycli protenſo. In dextra pariter, à puncto æquationis vndecimi ſigni ad proximam diuiſionem, arcum protendito. A cæteris deinde æquationum punctis, ad diuiſiones proximas in eadem tamen parte, vt in vndecimo & primo ſignis factum eſt, ſimiles arcus lineato. Quæ præter æquationum deſcriptionem adiecimus: hac tantum ratione ſunt ſuperaddita, vt poſſemus numeros ſignorum deſcribere: qui tandem diuerſo modo à Luna deſignentur: vt ſi g oſtenſorem deferentis, pectori tuo applicaueris, in prima diuiſione dextram verſus, vnitatem pones: & in ſecunda, 2: & ita per eandem partem pergens, alios numeros, ordine, alijs diuiſionibus adiungito. quæ omnia manifeſtius hæc figura docebit.

Ab auge ad oppoſitum.		Tabella equationum Mercurij ☿		Ab oppoſito ad augem.	
Signa	gradus	gradus	minuta.	Signa	dragus
0	0	0	0	0	0
0	10	0	28	11	20
0	20	0	53	11	10
1	00	1	17	11	00
1	10	1	43	10	20
1	20	2	6	10	10
2	00	2	25	10	00
2	10	2	43	9	20
2	20	2	54	9	10
3	00	3	1	9	00
3	10	3	1	8	20
3	20	2	54	8	10
4	00	2	41	8	00
4	10	2	22	7	20
4	20	2	00	7	10
5	00	1	32	7	00
5	10	1	3	6	20
5	20	0	32	6	10
6	00	0	0	6	00




¶ Consequens erit, ostensorem fabricare, vt in Luna docuimus: hoc tamen discrimine, vt longior factus non modo Mercurij centrum, sed Veneris quoque deprehendat. In eo, Mercurij centrum sic constituetur: ex linea k a, in sexaginta partes prius diuisa, vndeuiginti partes & triginta quatuor fere minuta, circino accipiantur: cuius altero pede in ostensoris centro defixo, alter in linea per centrum deducta, punctum centrum Mercurij referentem designet. Placet enim Ptolemæo, cap. decimo vndecimæ dictionis, & nono cap. De Mercurij ostẽsore. Ptolemæus

Ioannes de mõte regio

nonæ dictionis, astipulatúrque Ioannes de monte regio in decimanona propositione noni libri epithomatis, vt epicycli semidiameter, duas & viginti partes & triginta minuta contineat: cum linea, à centro mundi ad longitudinem longiorem protracta, sexaginta nouem partibus constiterit. Itaque, cum longiori longitudini paulo antè, sexaginta partes tribuerimus: necessarium est, semidiametrum epicycli nouemdecim partes & triginta quatuor fere minuta continere. Signato Mercurij centro, exiguum circulum ipsum Mercuriū repræsentantem circūdabimus, hoc exemplo, in margine posito.



¶ De circulo minutorum proportionalium & æquationum centri Veneris. Problema 5.



IN eodem deferente d a, circulum Veneris in parte superiori prope d extremitatem describes. Est tamen circulus minutorum proportionalium & æquationum Veneris tam paruus: vt in eo, nomina signorū describere non possumus: iccirco cogimur eo descripto, circulum alterū maiorem circinare: in quo duodecim in partes diuiso, numeros signorum describamus: &, vt ad hoc, nobis satis spacij supersit: augem deferentis Venerem, propius mundi centro, quàm Mercurij augem, collocabimus: idque, iuxta quātitatem lineæ, quæ à puncto l, ad punctum minutorum proportionalium sexti signi Mercurij protenditur. Demus igitur, augem Veneris in puncto m constitui: in quo, circini ad semidiametrum epicycli extensi alter pes, hæreat: altero in linea d m, punctum n ascribatur. Hic sciendum, lineam minutorum proportionalium longiorum, atque propiorum, ratione lineæ m a sumendam esse. Quod vt fiat, lineam m a in partes sexaginta dispescas: vnde, duas partes & vigintiseptem minuta, quæ eccentricitatem duplicatam reddunt, ad conficienda minuta accipias. Author

Ptolemæus

enim est Ptolemæus, in cap. secundo & tertio, decimæ dictionis. Item, & in cap. decimo vndecimæ dictionis, modo longitudo media sexaginta partes habuerit, longitudinem longiorem, vna & sexaginta partibus & quindecim minutis constare. Cum igitur, longitudo longior sexaginta tantum partes sibi vendicauerit: necessarium erit, longitudini mediæ, quinquagintaocto partes, quadragintasex minuta, vnum & triginta secunda, quinquaginta fere tertia tribuas. Si ergo, longitudinem mediam à longiori ademeris, pars

Eccentricitas Veneris

vna, tredecim minuta, vigintiocto secunda, decem tertia supererunt: quę Veneris eccentricitatem cōstituunt. Captam mox duplicatam eccentricitatem, in duas æquas partes diuidito: harum vtraque in partes sexaginta partiatur: & altera minutis longioribus, altera propioribus detur. Proximū est, vt circini ratione, & vsu tebellæ minutorum proportionalium, sua cuique signo minuta correspondentia, tam longiora, quàm propiora, in linea n m distribuas: vt latissime in Mercurio, & Luna, præcepimus. Memineris tamen præceptionem, quam in sumendis minutis longioribus in Mercurio adnotauimus, hic esse simili modo obseruandam.


Præceptionē in Mercurio traditā, hic quoque o[illegible]uandā esse.

Ab auge ad oppositum.		Tabella minutorũ proportionaliũ Veneris. ♀			Ab opposito ad augem.	
Signa	gradus		minu. lõgi ora.		Signa	gradus
0	0		60		0	0
0	10		59		11	20
0	20		56		11	10
1	00		52		11	00
1	10		47		10	20
1	20		40		10	10
2	00		30		10	00
2	10		20		9	20
2	20		9		9	10
3	00	ppr	2	ora.	9	00
3	10		12		8	20
3	20		22		8	10
4	00		31		8	00
4	10		40		7	20
4	20		48		7	10
5	00		53		7	00
5	10		57		6	20
5	20		59		6	10
6	00		60		6	00

¶ Aequationes vero centri, non aliter in Venere quàm in Mercurio describes, eas ex tabula æquationum centri Veneris accipiens: & quum hæc in Mercurio, & Luna, satis ample tractauimus: hic sola tabella satisfaciet.

Ab auge ad oppositum.		Tabella æquationum centri Veneris. ♀		Ab opposito ad augem.	
Sig	gd.	gd.	m	Sig	gd.
0	0	0	0	0	0
0	10	00	21	11	20
0	20	00	43	11	10
1	00	1	03	11	00
1	10	1	21	10	20
1	20	1	37	10	10
2	00	1	51	10	00
2	10	2	1	9	20
2	20	2	7	9	10
3	00	2	10	9	00
3	10	2	9	8	20
3	20	2	4	8	10
4	00	1	55	8	00
4	10	1	42	7	20
4	20	1	26	7	10
5	00	1	7	7	00
5	10	0	46	6	20
5	20	0	24	6	10
6	00	0	00	6	00

¶ Quibus perfectis, si per puncta æquationes centri terminantia, ducantur lineæ: non quidem circulus, sed figura circulo simillima cõstituitur. Ibi, cum paruitas, signorum numeros describere non permittat: expedit maiorem alterum circulum circinare: quo in partes duodecim diffecto, à punctis æquationum, ad huius circuli diuisiones protrahantur lineæ: vt ostendimus in Mercurio. Admoue deinde g partem pectori tuo, ac in prima diuisione post n maioris circuli, sinistram versus tendens, vnitatem describes: & ita, per eandem partem, alios numeros signorum, alijs diuisionibus eodem ordine coniungito: donec, ad n redieris: vbi cifram constitues. Hæc omnia indicant figuræ.





Descriptio ostensoris Veneris.


¶ Superest Veneris centrum, in Mercurij ostensore, quem ante construximus, signare: quod sic præstabimus: ex linea m a in sexaginta partes diuisa, quadragintaduas & septemdecim minuta accipe officio circini: cuius minime variati altero pede in ostensoris centro posito, alter, in linea per circulum transeunte, punctum seu centrum Veneris notet. Sentit nanque Ptolemæus, in locis paulo ante citatis, semidiametrum epicycli, ex quadraginta tribus partibus & decem minutis constitui, si longitudo longior vnam & sexaginta partes & quindecim minuta cōtineat: cum igitur longitudo longior sexaginta partes complectatur: semidiameter epicycli quadraginta duas partes & septemdecim minuta continebit. Postremo, circini pede in centro Veneris fixo, exiguum circulum Venerem repræsentantē signabis. In linea vero d a

Ptolemæus

fiat rimula: in qua epicyclus cum ostensore affixus ascendat, descendat, ac circumagatur: vt in Luna quoque factum est.

De circulo minutorum proportionalium & æquationum centri Martis. Problema 6.


MArs nobis occurrit describendus: cui deferens f a inseruiet. In quo alterum pedem circini ad quantitatem epicycli extensi, in puncto f figens, altero in linea f a, punctum scribito in o: & hic, eo pede constituto, alter circumactus in linea o a, punctum p designabit. erit tunc linea, quæ in minuta proportionalia secabitur, ratione lineæ o a desumenda. Sentiente Ptolemæo in decima dictione, cap. octauo, & nono: Ptolemæus
& in vndecima, cap. decimo: eccentricitas sex partes habet, si longitudo longior, sexagintasex partes cõtineat. Si vero longitudini longiori sexaginta tribuamus: eccentricitatem quinq; partes vigintiseptem fere minuta continere necesse est. Ex linea ergo o a, quam in partes sexaginta secabis, partes quinque & vigintiseptem minuta, ad reddendam eccentricitatem accipies. Eccentricitas quippe duplicata, lineam in minuta longiora & propiora diuidendam complectetur: ea, si in duas partes æquas diuidatur, altera in sexaginta partes diuisa, minuta longiora: altera in totidem secta, minuta propiora conficiet. Vsu tandem circini, & tabellæ minutorum proportionalium, vt in Venere & Mercurio, minuta proportionalia singulo cuiq; signo in linea p a distribues. Sed cum linea h a tertio problemate diuisa, lineæ o a sit æqualis: ociosum sit fortasse, hanc modo diuidere: cum illa, vtriusq; vices satisfaciat. Aequationes cẽtri Martis, vt in Luna, sic in Marte distribui tibi cõueniet.



Ab auge ad oppositum.		Tabella minutorum proportionalium. ♂			Ab opposito ad augem.	
Sig	gd.		m lög		Sig	gd.
0	0		60		0	0
0	10		59		11	20
0	20		56		11	10
1	00		52		11	00
1	10		46		10	20
1	20		39		10	10
2	00		30		10	00
2	10		20		9	20
2	20		9		9	10
3	00	ppr.	3	ora.	9	00
3	10		13		8	20
3	20		22		8	10
4	00		30		8	00
4	10		39		7	20
4	20		46		7	10
5	00		51		7	00
5	10		57		6	20
5	20		59		6	10
6	00		60		6	00

Ab auge ad oppositum.		Tabella æquationum centri Martis. ♂				Ab opposito ad augem.	
Sig	gd.		gd.	m		Sig	gd.
0	0		0	0		0	0
0	10		1	49		11	20
0	20		3	35		11	10
1	00		5	16		11	00
1	10		6	49		10	20
1	20		8	13		10	10
2	00		9	24		10	00
2	10		10	20		9	20
2	20		11	00		9	10
3	00		11	23		9	00
3	10		11	21		8	20
3	20		11	00		8	10
4	00		10	21		8	00
4	10		9	20		7	20
4	20		7	56		7	10
5	00		6	16		7	00
5	10		4	20		6	20
5	20		2	13		6	10
6	00		0	00		6	00


¶ Quibus distributis, pūcta equationes terminātia sic erūt in corona: vt (modo per illa lineā adieceris) circuli pene imaginē reddant. Cæterum, à pūctis æquationū ad pūcta cōtraposita per signorū minuta, ducātur exigui arcus: quod antè in Luna factū, tibi poterit esse documēto. Postremo, deferente c pectori tuo adpresso, in prima diuisione dextrā versus, quæ continuo sequitur p, vnitatē scribe. Reliqui deinde signorum numeri, sua serie designentur: quousq; reuertaris ad p, in quo cifra statuatur. Hæc manifesta facit figura.



Restat fabricandus ostēsor, quē Veneris ostēsori pene æqualē cōstruere cōueniet. Mox, trigintaquinq; partes & quinquagintaquinq; fere minuta, ratione circini sumātur ex linea o a; quam in partes sexaginta diuiseras. Adhæc, in ostēsoris centro, alterum circini pedem inuariati cōstituens, altero in linea


(quæ mediū secat ostēsor ē) punctū signabis: quod centrū Martis accipimus. Demōstrat enim Ptolemæus, in cap. octauo & nono decimæ dictionis: & in cap. decimo vndecimę, semidiametrū epicycli trigintanouē partibus & triginta minutis cōstare: modo, lōgitudo lōgior sexagintasex partes cōtineat. Si igitur, lōgitudo lōgior sexaginta partes cōplectatur: semidiameter epicycli, trigintaquinq; partes & quinquaginta fere minuta cōtinebit. Est deinde pes alter circini, in signato Martis cētro collocādus, altero vero circūacto, exiguus circulus Martē referēs describēdus: vt seorsum in margine patefacit ostēsor.

Ptolemæus



De circulo minutorum proportionalium & æquationum Iouis, & Saturni. Problema 7.

VLtimi, Iupiter & Saturnus, quorū circulus minutorum proportionaliū & æquationū, deferentiū fabricam absoluit. Hūc circulum cōstructurus, alterū pedem circini ad epicycli semidiametrū extensi, in q puncto collocabis: qui eo interuallo ab a deferentis centro distabit: quo, m punctus in Venere ab eodem centro seiungitur: alter quippe pes, in linea f q, punctū r designet. Tunc, à proportione lineæ q a æqualis lineæ m a, quam in sexaginta partes quinto problemate partiuimus, erit sumenda linea: quæ dissecta, minuta proportionalia cōficiet. Hic, cū duorum planetarum simul circulū fabricemus, vtrius eccentricitas duplata, minuta proportionalia debeat reddere: non ita est laborandū. Vtriusq; enim eccentricitas, cōficiēdis minutis, haud magno discrimine, inseruiet. Illud enim, ex Ptolemæo facile est conijcere: cuius, ex cap. primo & decimo vndecimæ dictionis, hęc est sentētia. Si linea q a, duabus & sexaginta partibus, ac quadragintaquinq; minutis cōstetur: eccētricitas Iouis, duas partes & quadragintaquinq; minuta complectetur. Rursus, si eadem linea q a, (vt eidem authori in quinto & decimo capitibus eiusdem dictionis placet) tribus & sexaginta partibus, & vigintiquinq; minutis constet: Saturni eccentricitas, tres partes & vigintiquinq; minuta cōtinebit. Fit inde, vt cum linea q a sexaginta tantum partibus cōstituatur: Iouis eccentricitas, duas partes & trigintaocto fere minuta: Saturni vero, tres partes & quatuordecim minuta complectatur. Cū igitur, hæ duæ eccētricitates, trigintasex minutorū discrimine tantū pugnent: alterā pro altera accipere nihil refert: aut, si te tam exigui numeri differentia mouet: illam accipe, acceptā in duas partes diuide: diuisæ alterā partem Ioui adiungēs, alteram deme à Saturno: erit tunc, in vtriusq; eccentricitate certissima paritas: vtraq; enim, ex duabus partibus & quinquagintasex minutis redditur. Alterutram itaq;, ex linea q a in sexaginta partes diuisa, circini ministerio duplicatā accipiēs, in duas partes æquas dispescas. Harū altera, minutis longioribus, altera propioribus (modo vtranq; in sexaginta partes diuiseris) accōmodabitur. Reliquū est, vt officio circini, & vtriusq; planetæ tabella adiuuante, in r pūcto circini centrū collocantes, sua cuiq; signo minuta tribuamus: quod in Venere quoq; est obseruatum. In minutis vero proportionalibus designandis, Iouis, an Saturni tabulam obserues: nihil aut certe parum erit discriminis: cum neutra ab altera, nisi minimo distet.



In describēdis minutis nō refert Iouis an Saturni eccentricitas sumatur.

Ab auge ad oppositum.		Tabella minutorum proportionalium Iouis. ♃			Ab opposito ad augem	
Sigñ	gd.		m̃ lõgi		Sigñ	gd.
0	0		60		0	0
0	10		60		11	20
0	20		57		11	10
1	00		53		11	00
1	10		47		10	20
1	20		39		10	10
2	00		30		10	00
2	10		19		9	20
2	20		09		9	10
3	00	ppi	2	ora	9	00
3	10		11		8	20
3	20		21		8	10
4	00		30		8	00
4	10		40		7	20
4	20		47		7	10
5	00		52		7	00
5	10		56		6	20
5	20		59		6	10
6	00		60		6	00


Ab auge ad oppositum.		Tabella minutorũ proportionalium Saturni. ♄			Ab opposito ad augem.	
Sigñ	gd.		m̃ lõg		Sigñ	gd.
0	0		60		0	0
0	10		59		11	20
0	20		56		11	10
1	00		51		11	00
1	10		45		10	20
1	20		39		10	10
2	00		30		10	00
2	10		20		9	20
2	20		08		9	10
3	00	ppi	03	ora.	9	00
3	10		13		8	20
3	20		21		8	10
4	00		30		8	00
4	10		37		7	20
4	20		45		7	10
5	00		51		7	00
5	10		57		6	20
5	20		60		6	10
6	00		60		6	00

Non aliter, æquationes cẽtri Iouis, ac Saturni, q̃ Veneris, & Martis deprehẽdũtur: duplex id indicat tabella: quarũ vtraq; pro altera esse potest: minimũ est inter vtrãq; discrimen: aut, si ad examẽ hæc vis perpẽdere curiose: vbi in alterutra excessũ offenderis, ab altera demẽs, & alteri addẽs, æquales reddito.

Ab auge ad oppositum.		Tabella æquationum centri Iouis. ♃				Ab opposito ad augem.	
Sigñ	gd.		gd	m		Sigñ	gd.
0	0		0	0		0	0
0	10		0	59		11	20
0	20		1	57		11	10
1	00		2	51		11	00
1	10		3	41		10	20
1	20		4	24		10	10
2	00		5	01		10	00
2	10		5	31		9	20
2	20		5	49		9	10
3	00		5	57		9	00
3	10		5	55		8	20
3	20		5	41		8	10
4	00		5	19		8	00
4	10		4	43		7	20
4	20		3	59		7	10
5	00		3	06		7	00
5	10		2	08		6	20
5	20		1	05		6	10
6	00		0	00		6	00

Ab auge ad oppositum.		Tabella æquationum centri Saturni. ♄				Ab opposito ad augem.	
Sigñ	gd.		gd.	m		Sigñ	gd.
0	0		0	0		0	0
0	10		1	05		11	20
0	20		2	07		11	10
1	00		3	06		11	00
1	10		4	00		10	20
1	20		4	48		10	10
2	00		5	29		10	00
2	10		6	02		9	20
2	20		6	22		9	10
3	00		6	31		9	00
3	10		6	28		8	20
3	20		6	14		8	10
4	00		5	49		8	00
4	10		5	12		7	20
4	20		4	23		7	10
5	00		3	24		7	00
5	10		2	21		6	20
5	20		1	11		6	10
6	00		0	00		6	00

Quæ diximus exprimit figura subiecta.




Non cõtigit Saturno aut Ioui peculiaris ostensor: quare in eo, quẽ Marti dicauimus, horũ centra signabũtur. Hac ratione sumãtur ex q a linea in sexaginta partes secta, vndecim partes: & cum alter pes circini, in ostẽsoris centro fixus fuerit: alter, in linea per mediũ traiecta, centrũ Iouis adnotabit. Sic, ab eadem linea q a sex partibus & nouẽ minutis acceptis, altero pede circini in eodem ostẽsoris centro cõstituto, altero, in linea deducta per mediũ, centrum Saturni signabimus. Vtrũq; hoc, ex Ptolemæo colligimus: ait enim cap. secundo & decimo vndecimę dictionis. Si linea q a ex sexagintaduabus partibus & quadragintaquinq; minutis cõstituatur: semidiametrũ epicycli Iouis, vndecim partes & triginta minuta cõplecti. Vnde, cũ linea q a in sexaginta partes sit secta: semidiameter epicycli, ex vndecim pene partibus insurget. Itẽ, Ptolemæus



Ostensor Iouis & Saturni.


alio capite, scilicet sexto, necnō & decimo vndecimę dictionis, cū linea q a tres & sexaginta partes, & vigintiquinq; minuta cōcluserit: semidiameter epicycli Saturni, sex partibus & viginta minutis erit æqualis. Si vero q a partes sexaginta non superet: epicycli semidiameter, sex partibus & nouem fere minutis cōstabitur. Restat cū in vtroq; centro, alternatim pedē circini statueris: altero satis cōpresso, exiguos circulos circinare, Iouem & Saturnum referentes: additis ipsorum planetarum nominibus vt figura in margine picta demōstrat. Aperiatur rimula in deferente f a: per quam epicyclus & ostensor copulati, sursum, aut deorsum cōmeare, nonnunquā quoq; circumferri, facile possint.

Hæc cū pręstiteris: planetarum deferenti ac illius singulis partibus, summam manum imposuisti: vt figura proxime sequens exprimit.



¶De matre tympani, & limbo seu zodiaco primi mobilis. Problema 8.

Describendi iam sunt planetarum æquantes siue zodiaci, represso in deferentibus stilo: quos fabricaturus, aut ex ære, aut ex papyro, aut si placet ligno, tabulam complanatam accipito paulo maiorem ea, in qua deferentem descripsimus. In ea primo, circulum ad quantitatem semidiametri deferentis circinabis: ei circulo, alterum statim addemus, à primo, tam exiguo interuallo distantem: vt, cum in altera materia, limbus & tympanum simul descripta, alterum sit ab altero diuidẽdum: circinum secantem, spacium inclusum tantum accipiat. Mox, omnem planiciem interceptam, hoc circulo posteriori (qui primus limbi dicetur) effodito: quod, in matre vulgaris astrolabi factum cernimus. Locum vnde planiciem abstulisti, matrem tympani æquantium appellabimus: quòd in eius velut materno sinu, tympanum hoc recumbat: qua quoq; ratione, quòd tympana almichantarat, in astrolabo vulgato complectitur, mater nuncupatur. Primo ergo circulo (circino paululum distento) secundum circulum adijciemus: inter quos, singuli gradus erunt adnotati: tertius circulus à secundo, quam secundus à primo, paulo distantior circundabitur: quo pariter ac secundo, graduum numeri quinque decémve sese superantes contineantur: quartum circulum latiori spatio à tertio seiunctum, quàm à secundo sit tertius, vltimum lineabimus: inter quem & tertium, signorum nomina reponentur. Secetur deinde hic quartus circulus, in trecentassexaginta partes, iuxta modum in secundo problemate traditum: & regula, diuisionibus ac centro accommodata, lineas duodecim totidem signa complexas, à quarto circulo ad primum producemus: à tertio vero ad primum fiant lineæ, quibus graduum numeri, quinque decémve gradibus sese superantes collocentur. à secundo deniq; ad primum, singulorum graduum lineas deducemus. Nec aliud supererit, quàm signorum nomina, & graduum numeros his interuallis inserere, eo ordine, quo in subiecta figura conspiciuntur.


Zodiacus primi mobilis seu limbus.
Circulus augium
Mater
tympani
Aux
ARIES
TAV.
GEM.
CAN.
LEO.
VIR.
LIB.
SCOR.
SAGIT.
CAPRI.
AQVA.
PIS.
Zodiacus primi mobilis seu limbus.

¶De tympano & circulo augium. Problema 9.

In primis,limbus alteri iam fabricato,& æqualis,& persimilis, deducatur: in diuersa tamen materia ab ea,quæ præcedenti inseruiebat. Addes vero huic limbo,deferenti circulum æqualem:inde alium paulo minorem deferente:inter hos, planetarum auges signabuntur:quarum tamen, prius certa loca, aut ex Alfonsi tabulis,aut quauis alia ratione deprehendes:nos quidem,vt discentium laborem,opera nostra leuaremus: illarum loca, anno millesimo quingentesimo tricesimo certissima futura,adnotauimus in hac tabella.

¶Cum huius tabellæ obseruatiõe,signa, gradus ac minuta augis cuiusq; planetæ,à principio arietis in primi mobilis zodiaco seu limbo supputaueris : ipsi supputatiõis termino, ac centro, regulam admoueto: lineã mox rectam,in augium interuallo protendes:lineæ,planetæ nomen,cuius augem cupis adnotare, addito: ad hoc exemplum. Communem augem laboras scribere:ab arietis initio,viginti gradus &duo minuta computa:& in extrema parte,vt diximus, lineam protende: cui, augis communis appellationem inscribito: quod, in alijs planetis simili ratione fieri: figura sequentis problematis, necnon & præcedentis, edocebit.

Tabella augium.

	Sig	gd.	m	2	3	4
Aux communis	0	20	2	18	58	19
☉ & ♀	3	01	27	41	58	19
☿	7	00	41	52	2	19
♂	4	15	14	32	2	19
♃	5	23	37	19	2	19
♄	8	13	26	1	2	19

¶Zodiacorum descriptio. Problema 10.

Centrorum itaque zodiacos descripturi,Saturni primo,Iouis deinde,tertio Martis,quarto Veneris & Solis,quinto Mercurij describemus. Hos enim, eo, centrorum zodiacos appellamus: quòd,cum centra media in eis numerantur,vera fiunt.In primis igitur,cum zodiarum centri Saturni describere volueris: tres circulos circinato: qui, cum vltimo augium, tria distinguent interualla: quorum supremum, singulos quosque gradus:medium,graduum numeros,quinque decenve sese superantes:infimum,signorum numeros amplectitur.Hi quidem circuli,partibus inæqualibus diuidentur: idq; duobus modis. Prior, æquante partito, alter,quarundam tabellarum obseruatione proficiscitur. Priorem itaq; modum sequutus,normam,& augi Saturni,& tympani centro,applicato:vt ab auge ad oppositum per tympani centrum,lineam deducas occultam.Cuius Duob9 modis cẽtrorũ zodiaci diuiduntur.


Quę vocetur augis linea: quæ vę oppositi augis.

Cētrū æquātis quo modo in linea oppositi augis figatur.

Cur ad centrū æquātis signādū duplicata eccētricitas sumatur.

Quantitas semidiametri deferentis Saturni.

partem (quæ, ab auge & tympani centro intercipitur) augis lineam vocabimus: ea vero (quæ eodem centro, & augis opposito clauditur) oppositi augis linea dicetur. Ex linea deinde q a, in sexaginta partes antè diuisa, sex partes & vigintiocto minuta, vsu circini sume: cuius altero pede in tympani centro fixo, altero, in oppositi augis linea centrum æquantis signato. In omnibus quippe planetis æquantem habentibus, præterquam in Mercurio, tantum centrum æquantis à deferentis centro abesse monstratur: quantum centrum deferentis, à centro mundi. Idcirco, duplicatam eccentricitatem, ad centrum æquantis signandum accipimus. Deinde, semidiametrum orbis Saturnum deferentis, per septimum problema disquirito: quod fiet, si ex linea q a, in sexaginta partes diuisa, eccentricitatem Saturni ademeris: quæ, vt ibidem innotuit: tres partes & quatuordecim minuta continet. Ex linea igitur q a, quinquagintasex partes & quadragintasex minuta, deferentis scilicet semidiametrum, sumito: & circini pede in centro æquantis locato, alterum circumagens, Saturni æquantem circinabis: quem, in trecentas sexaginta partes, à linea occulta exorsus, partire. Regula deinde, centro tympani, & diuisionibus ęquantis adiuncta, ab inferiori circulo ad augium infimum (qui primus est huius zodiaci) lineas ad signorum numeros adnotandos ducito: à tertio quoque ad primum, vt graduum numeri designentur; & à secundo ad primum, vt singulus quisque gradus describatur, deducantur etiam lineæ. Postremo, signorum & graduum numeros à linea oppositi augis incipiendo, iuxta signorum successionem primi mobilis, in interuallis ad id dimissis, scribito. Vt proxima figura ponit ante oculos.



Non aliter q̃ in Saturno, aliorum planetarum zodiacos per eorum ordinem descendendo describes, æquantium centra in lineis oppositorum augiũ

Aliorum zodiacorũ descriptio.

ſignando: quorum diſtantias à centro tympani, ex ſuperioribus problematibus facile colliges. Sed tamen, ne, aut noſtro labori pepercisse, aut rudibus adhuc parum cõsuluiſſe videremur: cuiuſq; planetæ diſtantiam ſupputauimus: & huic loco ſupputatam adiecimus. Abeſt itaq; centrum æquantis in Ioue à centro tympani, quinq; partibus & ſexdecim minutis: in Marte, decem partibus & quinquagintaquatuor minutis: in Venere duabus partibus & vigintiſeptem fere minutis: in Mercurio, duabus partibus & trigintaſeptẽ fere minutis. Addamus etiam, vt omnia hæc integre tractentur, ſemidiametrorum æquantium quantitatem. In Ioue profecto, æquantis ſemidiameter, ſeptem & quinquaginta partibus & vigintiduobus minutis conſtat: in Marte vero, quatuor & quinquaginta partibus & trigintatribus minutis. Veneris quidem ſemidiameter, quinquagintaocto partes, quadragintaſeptẽ fere minuta complectitur. At Mercurius, in ſemidiametro duas & quinquaginta partes & decem fere minuta habet. Porrò has partes, ſiue à centro tympani ad centrum æquantis, ſiue quas in ſemidiametris æquantium adnotauimus: ex ipſis planetarum lineis (quæ augium nominantur) accipiemus. In Saturno quidem ac Ioue, à linea q a. In Marte ab o a linea. In Venere ab m a. Et à linea k a in Mercurio. Non eſt hic prætereundum, quanquã Veneri & Soli vnum zodiacum tribuẽdum antè dixerimus; ſi tamen tympani planities capax fuerit, ſuum cuiq; deſcribendum potius noſtrum eſſe conſilium. Cum, tam inter diſtantiam centri æquantis Veneris, & centri deferentis Solem: q̃ inter eorum deferentium ſemidiametros, nonnulla diuerſitas reperiatur. Veneris quidem duplicata eccẽtricitas, duas partes, vigintiſex minuta, quinquagintaſex ſecunda, viginti tertia complectitur: eiuſq; deferentis ſemidiameter quinquagintaocto partes, quadragintaſex minuta, vnũ & triginta ſecunda, quinquaginta tertia. Solis vero eccentricitas, Ptolemæo authore in tertia dictione cap. quarto (non enim in eo eccentricitatẽ duplicatã capimus: idq;, quod circa eius deferentis centrũ regulari motu defertur) duas partes, vigintinouẽ minuta, triginta fere ſecũda continet; ſi augis linea ſexagintaduas partes, vigintinouẽ minuta, triginta fere ſecunda non ſuperet. Cũ igitur augis linea, ex ſexaginta tantũ partibus conficiatur; eccẽtricitati duæ partes, vigintitria minuta, trigintaduo ſecunda, vnũ & viginti fere tertia, deferentisq; ſemidiametro quinquagintaſeptẽ partes, triginta ſex minuta, vigintiſeptem ſecũda, trigintanouem tertia tribuentur. quo fit, vt nonnil diuerſitatis, inter Solis & Veneris deferentiũ ſemidiametros: atq; inter Veneris duplicatã, & Solis ſimplicem eccentricitatẽ reperias. Hanc tamen diuerſitatem ad æqualitatẽ redige: aut vtriq; ſuũ (vt diximus) deſcribe zodiacum: ſi inter operandũ aut minimũ, aut nullũ cupis errorem contingere. Horũ tamen zodiacorũ initia, cũ augiũ motibus cõmutãtur: qua ratione, cũ auges vſqueadeo ſuo loco motas inueneris: vt ob eam mutationẽ, aliquid erroris poſſit ſubnaſci in planetarũ locis diſquirẽdis: hoc obſeruandũ cenſeo, vt fracto dẽticulo (quẽ in principio arietis dimittendũ eſſe problemate tredecimo dicemus) tympanũ zodiacorũ circũferatur: donec, auges ipſæ eis locis omnino reſpõdeãt: in quibus eas antiquo loco pulſas, nuper reperimus: atq; ita manẽte tympano, in ipſius extre-

Diſtãtiæ inter centrum mũdi & centra æquãtiũ


Quãtitates ſemidiametrorũ æquãtium.

Ex quib9 lineis quãtitates, tã ſemidiametrorũ q̃ eccentricitatũ ſumantur

Soli, & Veneri, ſingulos zodiacos deſcribi poſſe.

Auges ad vera loca reſtituere.

mitate alter fiat denticulus. In arietis principio, illi, quē abscideramus, persimilis. Licet in figura sequenti conspicere, quæq; præsens problema edocet.



¶Zodiacorum diuisio ex tabellarum obseruatione. Problema 11.

Est & alter diuidendi modus, tabellarum obseruatione innixus: iuxta quem zodiaci diuidentur, à lineis oppositorum augium vt in priori incipientes. Igitur diuisurus, tabellarum aliquam ingredere: illius quidem planetæ, cuius zodiacum describere intendis: & per eius sinistrum latus descendens, aut ascendens per dextrum, gradus & signa perquire: quodque, è regione in area tabellæ inueneris, à linea oppositi augis in zodiaco primi mobilis signorum serie seruata computa: & computationis termino, & tympani centro regula adiuncta, à quarto circulo ad primum, singulis quippe signis, à tertio vero ad primum, quinis quibusque gradibus lineas designato. Deinde, vnumquodque quinque graduum interuallum, in quinque partes diuidito: & regula centro tympani, & diuisionibus applicata, à secundo circulo ad primum, singulorum graduum lineas deducito. Et licet hæc interualla quinto quoque gradu distincta, in partes inæquales secari debuissent: possunt tamen in æquas diuidi: parum à vera diuisione discrepando. Nos vero, ad singulos quosque gradus (ne nimis anxie hoc tractasse videremur) tabellas minime accommodauimus. Zodiacum igitur Saturni tabellarum obseruatione descripturus, primo, quinque gradus in eius tabellæ sinistro latere quærito: atque quatuor gradus & vigintiseptem minuta in area tabellæ reperta, ab eius oppositi augis linea, iuxta signorum successionem, in zodiaco primi mobilis numerato: & fini, & tympani centro regulam applicans, à tertio circulo zodiaci Saturni ad primum eiusdem, primorum quinque graduum lineam protrahito. Deinde, decem gradus in eodem sinistro latere inuestiga: & octo gradus & quinquagintaquinque minuta in area, reperta, ab eodem opposito augis numera: & vt prius lineam etiam deducito: quod in signis quoque & alijs gradibus facito vt paulo ante præcepimus.

CENTRORVM TABELLAE.

Ab auge ad oppositum. Si.	gd	Tabula veri argumenti Solis. ☉ Si.	gd	m	Ab opposito ad augem. Si.	gd
0	0	0	0	0	0	0
0	5	0	4	49	11	25
0	10	0	9	39	11	20
0	15	0	14	28	11	15
0	20	0	19	17	11	10
0	25	0	24	7	11	5
1	00	0	28	57	11	00
1	5	1	3	48	10	25
1	10	1	8	39	10	20
1	15	1	13	31	10	15
1	20	1	18	23	10	10
1	25	1	23	16	10	5
2	00	1	28	9	10	00
2	5	2	3	4	9	25
2	10	2	8	0	9	20
2	15	2	12	56	9	15
2	20	2	17	53	9	10
2	25	2	22	51	9	5
3	00	2	27	50	9	00
3	5	3	2	50	8	25
3	10	3	7	51	8	20
3	15	3	12	53	8	15
3	20	3	17	56	8	10
3	25	3	23	00	8	5
4	00	3	28	05	8	00
4	5	4	3	11	7	25
4	10	4	8	18	7	20
4	15	4	13	26	7	15
4	20	4	18	34	7	10
4	25	4	23	43	7	5
5	00	4	28	53	7	00
5	5	5	4	3	6	25
5	10	5	9	14	6	20
5	15	5	14	25	6	15
5	20	5	19	36	6	10
5	25	5	24	48	6	5
6	00	6	0	0	6	0

Ab auge ad oppositum. Si.	gd	Tabula centri veri, seu æquati Veneris. ♀ Si	gd	m	Ab opposito ad augem. Si.	gd
0	0	0	0	0	0	0
0	5	0	4	49	11	25
0	10	0	9	39	11	20
0	15	0	14	28	11	15
0	20	0	19	17	11	10
0	25	0	24	7	11	5
1	00	0	28	57	11	00
1	5	1	03	48	10	25
1	10	1	8	39	10	20
1	15	1	13	31	10	15
1	20	1	18	23	10	10
1	25	1	23	16	10	5
2	00	1	28	9	10	00
2	5	2	3	4	9	25
2	10	2	7	59	9	20
2	15	2	12	56	9	15
2	20	2	17	53	9	10
2	25	2	22	51	9	5
3	00	2	27	50	9	00
3	5	3	2	50	8	25
3	10	3	7	51	8	20
3	15	3	12	53	8	15
3	20	3	17	56	8	10
3	25	3	23	00	8	5
4	00	3	28	5	8	00
4	5	4	3	11	7	25
4	10	4	8	18	7	20
4	15	4	13	26	7	15
4	20	4	18	34	7	10
4	25	4	23	43	7	05
5	00	4	28	53	7	00
5	05	5	4	3	6	25
5	10	5	9	14	6	20
5	15	5	14	25	6	15
5	20	5	19	36	6	10
5	25	5	24	48	6	5
6	00	6	0	0	6	0

Ab auge ad oppositum. Si.	gd	Tabula centri veri, seu æquati Mercurij. ☿ Si.	gd	m	Ab opposito ad augem. Si	gd
0	0	0	0	0	0	0
0	5	0	4	45	11	25
0	10	0	9	32	11	20
0	15	0	14	20	11	15
0	20	0	19	07	11	10
0	25	0	23	55	11	05
1	00	0	28	43	11	00
1	05	1	03	30	10	25
1	10	1	08	17	10	20
1	15	1	13	06	10	15
1	20	1	17	54	10	10
1	25	1	22	44	10	05
2	00	1	27	35	10	00
2	05	2	02	26	9	25
2	10	2	07	17	9	20
2	15	2	12	11	9	15
2	20	2	17	06	9	10
2	25	2	22	02	9	05
3	00	2	26	59	9	00
3	05	3	01	58	8	25
3	10	3	06	59	8	20
3	15	3	12	2	8	15
3	20	3	17	6	8	10
3	25	3	22	11	8	05
4	00	3	27	19	8	00
4	05	4	02	28	–	25
4	10	4	07	38	7	20
4	15	4	12	49	7	15
4	20	4	18	00	7	10
4	25	4	23	13	7	05
5	00	4	28	28	7	00
5	05	5	03	42	6	25
5	10	5	08	57	6	20
5	15	5	14	12	6	15
5	20	5	19	28	6	10
5	25	5	24	44	6	05
6	00	6	0	0	6	00

CENTRORVM TABELLAE.

Ab auge ad oppositum.		Tabella cẽtri æquati, seu veri Martis. ♂			Ab opposito ad augem.	
Si.	gd	Si.	gd	m	Si.	gd
0	0	0	0	0	0	0
0	5	0	4	5	11	25
0	10	0	8	10	11	20
0	15	0	12	18	11	15
0	20	0	16	25	11	10
0	25	0	20	34	11	5
1	00	0	24	44	11	00
1	5	0	28	56	10	25
1	10	1	03	11	10	20
1	15	1	07	28	10	15
1	20	1	11	47	10	10
1	25	1	16	10	10	5
2	00	1	20	36	10	00
2	5	1	25	5	9	25
2	10	2	00	40	9	20
2	15	2	04	18	9	15
2	20	2	09	00	9	10
2	25	2	13	45	9	5
3	00	2	18	37	9	00
3	5	2	23	36	8	25
3	10	2	28	39	8	20
3	15	3	03	47	8	15
3	20	3	09	00	8	10
3	25	3	14	19	8	5
4	00	3	19	39	8	00
4	5	3	25	06	7	25
4	10	4	00	40	7	20
4	15	4	06	19	7	15
4	20	4	12	04	7	10
4	25	4	17	53	7	5
5	00	4	23	44	7	00
5	5	4	29	39	6	25
5	10	5	05	40	6	20
5	15	5	11	42	6	15
5	20	5	17	47	6	10
5	25	5	23	53	6	5
6	00	6	00	00	6	00

Ab auge ad oppositum.		Tabella centri veri, seu æquati Iouis. ♃			Ab opposito ad augem.	
Si.	gd	Si.	gd	m	Si.	gd
0	0	0	0	0	0	0
0	5	0	4	40	11	25
0	10	0	9	01	11	20
0	15	0	13	32	11	15
0	20	0	18	03	11	10
0	25	0	22	36	11	5
1	00	0	27	09	11	00
1	5	1	01	43	10	25
1	10	1	06	19	10	20
1	15	1	10	57	10	15
1	20	1	15	36	10	10
1	25	1	20	17	10	5
2	00	1	24	59	10	00
2	5	1	29	42	9	25
2	10	2	04	29	9	20
2	15	2	09	19	9	15
2	20	2	14	11	9	10
2	25	2	19	06	9	5
3	00	2	24	03	9	00
3	5	2	29	03	8	25
3	10	3	04	05	8	20
3	15	3	09	11	8	15
3	20	3	14	19	8	10
3	25	3	19	29	8	5
4	00	3	24	41	8	00
4	5	3	29	57	7	25
4	10	4	05	17	7	20
4	15	4	10	38	7	15
4	20	4	11	01	7	10
4	25	4	21	27	7	05
5	00	4	26	54	7	00
5	05	5	02	22	6	25
5	10	5	07	52	6	20
5	15	5	13	23	6	15
5	20	5	18	55	6	10
5	25	5	24	27	6	5
6	00	6	00	00	6	00

Ab auge ad oppositum.		Tabella centri veri, seu æquati Saturni. ♄			Ab opposito ad augem.	
Si.	gd	Si.	gd	m	Si.	gd
0	0	0	0	0	0	0
0	5	0	4	27	11	25
0	10	0	8	55	11	20
0	15	0	13	24	11	15
0	20	0	17	59	11	10
0	25	0	22	23	11	05
1	00	0	26	54	11	00
1	05	1	01	26	10	25
1	10	1	06	0	10	20
1	15	1	10	35	10	15
1	20	1	15	12	10	10
1	25	1	19	51	10	05
2	00	1	24	31	10	00
2	05	1	29	13	9	25
2	10	2	03	58	9	20
2	15	2	08	46	9	15
2	20	2	13	38	9	10
2	25	2	18	32	9	05
3	00	2	23	29	9	00
3	05	2	28	30	8	25
3	10	3	03	32	8	20
3	15	3	08	38	8	15
3	20	3	13	46	8	10
3	25	3	18	56	8	05
4	00	3	24	11	8	00
4	05	3	29	28	7	25
4	10	4	04	48	7	20
4	15	4	10	12	7	15
4	20	4	15	37	7	10
4	25	4	21	06	7	05
5	00	4	26	36	7	00
5	05	5	02	03	6	25
5	10	5	07	39	6	20
5	15	5	13	14	6	15
5	20	5	18	49	6	10
5	25	5	24	30	6	05
6	00	6	00	00	6	00

¶ Alia zodiacorum descriptio incipientium pene à principio Libræ. Problema 12.


PRomptius multo, ac nullo fere labore planetarum loca reperies: si iuxta libram, sequenti modo dicti zodiaci incipiant, ac diuidantur. Saturni quidem zodiacus, in quadragesimo minuto vicesimiquarti gradus virginis: Iouis, in quadragesimo primo minuto primi gradus libræ: Mars autem, in trigesimonono minuto noni gradus libræ auspicabitur. Venus & Sol eundem zodiacum sortiti, in decimo minuto tertij gradus libræ initium sumunt. At Mercurius, in vicesimo minuto vicesiminoni gradus virginis.

Exemplum huius secūdæ descriptionis.

Sit hoc exemplum in Saturno: tres circulos zodiacum Saturni reddentes, iuxta decimum problema primum educito: æquantem deinde, vt in eodem problemate, circinato: regulam statim, tympani centro, & quadragesimo minuto vicesimiquarti gradus virginis applicans: à quarto circulo ad primum, in Saturni zodiaco lineam ducito: quæ zodiacum incipit Saturni. Ibi, regulæ & æquantis intersectionem, puncto nota: à quo exorsus, æquantem in trecentas sexaginta partes secabis: ac sectionibus & tympani centro regulam applicans, lineas in Saturni zodiaco excitabis: quod in citato problemate late docuimus. Non aliter, reliquis planetis suos describemus zodiacos: quibus signorum & graduum numeri, à lineis, vnde zodiaci exordiuntur, iuxta signorum successionem excipiantur: quæ omnia, figura quæ sequitur patefaciet. Sed cum zodiacorum initia, vt in superiori descriptione monstrauimus, ad augium motum aliquantulum commutentur: cum ea erit in signis commutatio, vltra loca illis nono problemate definita: eosdem zodiacos in altero tympano fabricare conueniet. Illa enim præceptio (quam problemate decimo edocuimus) huic secundæ descriptioni minime inseruit.

Augib⁹ mutatis, quomodo initia zodiacorū reperiātur.

Cognitis itaque augium locis, hoc modo zôdiacorum initia reperies: æquationem centri, per Alfonsi tabulas cum titulo adde vel minue, perquire, modo medius motus nihil sit: quòd si æquatio sit addenda, à libræ principio, obseruato signorum ordine, computabitur: & in supputationis termino, zodiacus ille initium sumet, cuius æquationem supputasti: quòd si sit minuenda æquatio: ab eodem principio contra signorum successionem numerabitur: & vbi numerare desinis: ibi sit zodiaci principium.




SAGITTARIVS.
CAPRICORNVS.
AQVARIVS.
PISCES.
ARIES.
SCORPIO.
LIBRA.
VIRGO.
CANCER
GEMINI.

De Lunæ mansionibus. Problema 13.

DE Lunæ mansionibus, veterum scriptorum plurimæ fuerunt diuisæq; sententiæ: quas hic repetere, non minus erit ociosum, quàm inutile. Quam ob rem eam quæ verissima creditur, in medium adducemus: vbi Abrahamum de seculo authorem sequuti sumus. Abraham. Ex cuius sententia, quæq; mansio duodecim gradus, vnũ & quinquaginta minuta, vigintisex fere secunda complectitur: & earum prima, in octauo gradu ante arietis cornua initium sumit. Vnde fit, vt ex locis augibus constitutis problemate nono, prima mansio, decimonono gradu & tricesimosexto fere minuto arietis incipiat. Hæc (quam dudum recitauimus) sententia, ideo, rationi videtur maxime consentanea, quòd stellæ, à quibus mansiones nomen accipiunt, in eisdem mansionibus collocantur; hoc idem videtur sentire Apharus: cum, mansionum proprietates, ex stellarum (quæ in mansionibus continentur) naturis, enasci contendit. Conuenit dicamus, quo pacto ipsæ mansiones describentur. Primo, circulum vltimo Mercurij minorem circinato: & regulam cẽtro tympani & tricesimosexto minuto vicesimi gradus arietis adiungens, ab vltimo Mercurij circulo (qui mansionum est primus) ad secundum dudum protractum, lineam excitato. Ab hac rursus linea, vnde mansiones exordiuntur, secundum circulum, in octo & viginti partes dispesce: ac lineas per sectiones, à primo circulo ad secundum deducito. Reliquum erit, earum numeros, ab vno ad octo & viginti, iuxta signorum successionem inscribere: vt figura decimi problematis plane monstrat. Absolutis planetarum zodiacis, superest, zodiacum primi mobilis ab alijs secare: quod vt conuenienter fiat, exiguum spacium, inter circulum deferenti æqualem, & primum circulum zodiaci primi mobilis reliquimus, si recte meministi. Est tamen denticulus in arietis principio dimittendus: quod in astrolabi almichantarat fieri cõsueuit. Denticulus in principio arietis dimittendus. Is quidem denticulus, foramen sub arietis principio, in ipsa limbi crassitudine excauatum, recta ingredietur: quemadmodum in vulgari astrolabo, iuxta armillam, foramen (quòd ipsa meridiani linea ingredi videtur) factum cernimus.

De linea veri motus. Problema 14.



LInea quæ veri motus appellatur: sola fabricanda superest. Hanc in vulgato astrolabo, nunc ostensorem, nunc almurim, nunc indicem, appellamus. Ad eam fabricandam, materiam vno digito latam accipias: super quam circulum latitudini æqualem circinato. Mox ab eius cẽtro, lineam semidiametro maioris circuli in limbo descripti æquam deducito: cætera autem omnia, vt in ostensore epicycli Lunæ fabricẽtur: quod in figura subiecta, aperte mõstratur. Cum omnia itaque vt docuimus fabricaueris, reliquum erit simul ea componere,

Quomodo quæ in superioribus cõstruxim⁹ in vnũ corpus redigentur.

& in vnum veluti corpus coniungere. Primo, zodiacorum tympanum à limbo dissectum, vt præcedens problema docuit, in matre constitues, ingrediente illius denticulo foramen in arietis principio factum. Affigantur & epicycli & ostensores, in eis rimulis, quas in deferentis partibus illis proprias dedicauimus: vt nunc sursum, nunc deorsum, nunc in girum ferri possint. Superponatur statim ipsi tympano planetas deferens, simul cum linea veri motus, clauo per tympani centrum traiecto, suffixus: vt, quemadmodum in communi astrolabo, circumagi ostensoris & araneæ exemplo possit.

Absoluta æquatoris structura, labor quoque noster absoluitur: nisi, eiusdem æquatoris vsum atque vtilitatem ostendere, laborem appelles. De quibus nunc dicere aggredimur.

PRIMI LIBRI AEQVATORIS PLANETARVM FINIS.

FRANCISCI SARZOSI CELLANI LIBER SECVNDVS, VEROS MOTVS AC PASSIONES planetarum, æquatoris ministerio inuestigare docens.

SATIS VT ARBITROR, DE AEQVATOris fabrica præcedenti libro dictum est. Quòd si alijs non satis sit visum: nobis certe, quantum præsens exigebat opus, & ad institutum faciebat: nihil videtur prætermissum. Et, cum ope diuina freti præstiterimus: in hac instituti parte, non minus ardua, sed nec minus vtili, sacri spiritus fauore per omnes difficultates sustentari optamus. Sequitur enim fabricæ vsus atq; vtilitas: sine quibus, parum fabricam profuturam non est qui ignoret: non magis profecto, quàm omni armorum genere instructum militem, sed, quomodo illa moueãtur, quomodo illis se nunc protegere, nunc hostem ferire debeat, nescientem. Sed, antequam ad eam partem veniam: quæ propria est nostri operis: aliquarum partium in æquatore nomina interpretabor. Vt obscurarũ significationum difficultate sublata, rem plane videre possimus.

De nominibus partium æquatoris. Propositio prima.

PRima igitur æquatoris pars, limbus matris dicitur: qui primi mobilis zodiacum repræsentat: hic, vt in astrolabo vulgari, aliquantulum extare potest: potest quoq; in plano, alijs planetarum zodiacis continuus affigi: aliquantulum tamen eminentem, ac ab alijs seiunctum ponimus: vt, cum in alijs zodiacis initia cum augibus simul mutentur, possimus facile (mutatis augibus) aliorum zodiacorum principia suis locis accommodare: noua descriptione minime vtentes. Mater, limbo concluditur. In matre, zodiacorum tympanum recumbit. In tympano vero ad extremas partes, duo sunt circuli, spacium augibus peculiare complexi. In eo spacio, si ab arietis principio signorum ordinem percurris: primo, communis aux: Solis deinde ac aliorum planetarum auges offerũtur. Huic spacio, centrum versus, Saturni zodiacus coniungitur tria interualla complectens. Primum, singulis gradibus, alterum, quinto quoq; gradu, tertium, signis occupatur. Est hic animaduertendum, hunc Saturni zodiacum, vt aliorum quoque planetarum non incipere ab ea linea, quæ ab auge ad centrum producitur: quoniam, cum centrum epicycli, aut in auge, aut alibi esset collocandum: eius partis (in qua defertur) latitudo, gradus & signa zodiaci velans, nobis esset impedimento. Proximus Iouis zodiacus: deinde Martis: post Martem Solis & Veneris: & post hos, sequitur Mercurius. Mox mansionum Lunæ spacium, ad centrum proxime accedit. Incubat tympano planetas deferens, tribus partibus spectabilis: qui, vt à tribus deferẽtibus (quos

Limbus.
Mater.
Tympanũ zodiacorũ.
Circulus augium.
Aux communis.
Solis aux.
Zodiacus Saturni.
Cur zodiaci à linea oppositi augis incipiant.
Zodiacus Iouis.
Zodiacus Martis.
Zodiacus So. & Ve.
Zodiacus Mercurij.
Circu. mãsio. Lunę.
Magn9 plañ. deferẽs

complectitur) nomine distet: non iniuria, magnus deferens appellabitur. Hinc, epicyclus Lunæ, primæ parti affixus cõspicitur. Est quoq; in eadem, Lunæ ostensor, epicyclum deferenti oppositus: qui, ostensor deferentis Lunam, nuncupabitur. In eo notati arcus duo, mãsionum Lunæ spacium cum titulo illud significante concludunt. Pars vero, quæ huic ostensori opponitur: in qua Lunæ epicyclum affiximus, deferens epicyclum Lunæ vocatur. Hæc quoq; pars, figuram ad imaginem oui, iuxta deferentis centrum designatam continet: eam tamen, quod ad figuram circuli nonnihil accedat, æquationis circulum appellamus. Hanc numeri ambientes, numeros signorum centri, repræsentant. Sed, & epicyclo exiguus ostensor superponitur, epicycli ostensor appellatus, vt ea appellatione, ab altero ostensore discernatur. Secunda magni deferentis pars, epicyclum Mercurij (qui & Veneri alternatim inseruit) secum gestat: hæc quidem pars, nunc Mercurium deferẽs, nunc deferens Venerem, nunc deferẽs Solem, appellatur. Est in hac parte circulus descriptus ad tympani centrum, vocatus, æquationis circulus Mercurij: è cuius superiori parte, lineæ duæ, sese versus centrum apetientes nascuntur: velut futuræ trĩãguli isoschelis latera. Est vbi nascuntur cifra, & in vtroq; latere, puncta quatuor, & laterum termino contenta puncta tria: ex quibus vndecim punctis, totidem lineæ deductæ, ad numeros signorum centri circunstantes trahuntur. Sunt autem hi numeri, ideo, è punctorum regione sua serie circunfusi, vt eo ordine, æquationes signorum, quæ per puncta denotantur, significent. Alius vero circulus, ad extremitatem eius partis descriptus, circulus æquationis Veneris, dicitur: puncta interioris circuli (à quibus lineæ, numeros signorum centri traijcientes deducuntur) æquationum puncta repræsentant. Ostensorem vero cum epicyclo coniunctum, ostensorem epicycli nuncupamus. In eo duo circuli exigui, alter Mercurium, alter Venerem, nobis referens: sic enim, puncta in eis circulis descripta, horum planetarum centra nobis indicant. Hic epicyclus, huic parti affixus, Solem nobis nonnunquam repræsentat: & ideo, quandoque Solem ipsum appellabimus. Secundus ostensor, Mercurium, siue Venerem deferenti aduersus, deferentis ostensor dicitur. Tertiam magni deferẽtis partẽ, tribus supremis deferendis destinatam, nunc Iouem, nunc Martem, nunc Saturnum deferentem nuncupamus: circulum vero, iuxta cẽtrum tympani in ea designatum, circulum æquationis centri Martis. In cuius periferia, duodecim æquationum puncta ex se lineas gignunt: quæ ad grandioris circuli circunferentiam ductæ, numeros signorum centri, exiguum circulum circundantes, distinguunt. Porrò eum (qui in extremitate describitur) Iouis & Saturni æquationis circulum nominamus. Qui, in periferia quoq;, puncta duodecim habet: è quibus totidem lineæ, ad capaciorem circulum protractæ, signorum centri numeros, suis interuallis accipiunt. Connectitur & huic parti, simul cũ epicyclo eiusdem epicycli ostensor: in quo, tres exigui circuli conspiciuntur: primus Saturnum, alter Iouem, tertius Martem repræsentans: & punctis quibusdam in eis signatis, planetarum centra referuntur. Hanc partem, ex aduerso deferentis ostensor spectat. In quo, tres characteres tribus planetis

Epicyclus Lunæ.
Ostensor deferentis.
Deferens epicyclum Lunæ.
Circulus æquationis Lunæ.
Ostensor epicycli.
Deferẽs Solẽ necnon Mercurij & Veneris epicyclũ.
Circulus æquationis Mercurij.
Circulus æquationis Veneris.
Ostensor epicycli.
Mercurius.
Venus.
Cẽtrum Veneris.
Cẽtrum Mercurij.
Sol.
Ostensor deferentis Venerem aut Iouem.
Deferens trium superiorum.
Circulus æquationis Martis.
Circulus æquationis Iouis & Saturni.
Ostensor epicycli.
Saturnus.
Iuppiter.
Mars.
Ostẽsor deferẽtis.

peculiares, quatuor circulis intercipiūtur. Character primus Saturni, duobus zodiaci eiusdem planetæ circulis, superiori scilicet, atq; inferiori interceptus, zodiacum Saturni, iuxta è regione in tympano iacētem indicat. Idem quoq; character secūdus, ad dignoscendum Iouis zodiacum præstat. Et tertius, ad Martis pariter zodiacum monstrandum. Non est hic prætereundum: quatuor circulos in vnoquoq; epicyclo describi, tria interualla complectentes, quibus signa, & argumenti gradus excipiuntur. Linea quidem, per medium cuiusque epicycli traiecta, linea augis mediæ: & eius superior extremitas, aux media: inferior vero, augis mediæ oppositum, nuncupatur. Linea pariter, à centro deferētis sub epicycli centro, ad ipsius extremitatem deferentis protracta, linea veri motus epicycli dicitur: idq;, in vnoquoq; deferente. Ostensor siue index superest, in astrolabo vulgari, almuri vocatus: quem, lineam veri motus planetæ, non inepte, hoc in loco nuncupabimus.

Linea augis mediæ.
Aux media
Oppositum augis mediæ.
Linea veri motus epicycli.
Linea veri motus.

¶ De medijs motibus. Propositio 2.

TRedecim tabellas, ad medios motus mediáq; argumenta inuestiganda supputauimus: quas eò, ad quarta vsque supputauimus: vt si planetarum loca, tabellis Alfonsi æquare libuerit, molestam earum supputationem quodam modo minueremus. Cum igitur medium motum nonæ sphæræ siue augium & stellarum fixarum, & octauæ qui accessus & recessus dicitur, & Solis qui semper est Veneris & Mercurij, & Lunæ, & capitis draconis, & aliorum planetarum inuenire volueris: tempus ab incarnatione Christi, vsq; ad instans, ad quod loca planetarum quærere intendis, primo notabis. Deinde, æquationes dierum à tempore notato subtrahe: vti in canone tabellæ æquationis dierum docetur. Tertio, radicem incarnationis illius planetæ, cuius mediū motum quæris (quæ semper in capite tabellæ eiusdem planetæ inuenitur) separatam scribito: aut breuius supputando, radicem anni 1520, ibidem inuentam sume: aut anni 1540 si quæris ad annos, vltra mille quingentos & quadraginta: & ita de alijs radicibus ibidem positis intellige, si habueris annos vltra mille quingentos & sexaginta: aut vltra mille quingentos & octoginta: aut vltra mille & sexcētos. Quarto, cum annis Christi iam notatis, annorum lineam intrabis: hoc est, annos ab eius incarnatione seu natiuitate peractos, in annorum linea quæres, si radicem incarnationis sumpsisti, si vero aliquam aliarum, cū annis, qui sunt supra eos, qui in radice comprehenduntur: & quæ in directo eorū, in tabella motus, quem quæris, offenderis, radici iam extra notatę subscribe: vnumquodq; suo generi, signa scilicet signis, & gradus gradibus. Idem quoq; cum mensibus completis, diebus, & horis, atq; fractionibus horarum facito. Quòd, si in annorum linea, numerū tuorum annorum non inueneris, minorem illi propinquiorem inuentum sumes. Residuum deinde annorum, in eadem linea quæres: quod si non inueneris, minorem etiam illi propinquiorem sumes: hoc tandiu facies, quoad, annos notatos expleueris. Deinde, omnia in summam vnam colligito: quarta quartis, tertia tertijs, & reliqua inter se addendo: vt in fractionum physicarum additio-

ne, fieri solet. E quibus, duodecim signa (si colligantur) abijcies. Quod vero ex huiusmodi collectione prouenerit, medius erit motus ad meridianum Parisiensem. Si vero ad alterum meridianum, supradicta expetis inuenire: radices motuum hic inuentas, ad tuum meridianum hoc modo mutabis. Distantiam eius ad Parisiensem cōsidera: & pro vnoquoq; gradu, quatuor minuta horæ, & pro vnoquoq; minuto, quatuor secūda sume. Deinde, cum tempore illo, tabulam medij motus aut medij argumenti intra: & motum sibi correspondentem (si alter meridianus occidentalior fuerit) radici hic appositæ adde. Si vero orientalior fuerit, ab eadem subtrahe: & ita, radicem ad tuum meridianum reduxisti. Cæterum, non est prætereundum: cum annus currens communis fuerit, in tabulam mensium communium: cum vero bissextilis, bissextilium intrandum esse. Scito quoq; horarum tabellas, fractionibus earum deseruire: modo, titulum in calce tabellæ positum obserues. Si forte medio motu habito, per tabellas Alfonsi æquare volueris: memento, signa communia, quæ per has tabellas collegisti, in physica redigere. Rediges quidem, si duo signa communia pro vno physico sumas.

Modus cōstituendi radices ad alterum meridianum.

De augibus planetarum. Propositio 3.

Quid sit aux & quotuplex.

AVx, vt paucis agamus, in duabus sumitur significationibus: in prima, aux punctus est circunferentiæ eccentrici, à centro mundi remotissimus. In æquatore vero, aux in prima significatione, linea est in circulo augium descripta: cui character illius planetæ, cuius augem repræsentat, circunscribitur. In secunda autem significatione, arcus est à principio arietis, ad augem in prima significatione. Cum igitur augem Solis seu alterius planetæ desideras: indicem seu lineam veri motus, augi in prima significatione applicato: & arcus ab ariete ad lineam veri motus (seruato signorum ordine) interceptus, aux erit in secunda significatione.

Solis argumentum, & aliorum centra media inuenire. Propositio 4.

ARgumentum Solis, & centra media Mercurij, Veneris, Martis, Iouis, & Saturni, hoc modo inuestigabis. Mediū motum cuiusq; eorum per secundam inuentum, à principio arietis in limbo computabis: & computationis termino, indicem applicato: dico, arcum limbi ab auge Solis (si eius medium motū numerasti) ad indicem, seruata signorum limbi serie, argumentum esse Solis. In alijs vero planetis, arcus eiusdem limbi, ab auge illius planetæ, cuius medium modum numerasti, ad indicem vsq;, dicitur centrum medium. Aliter per subtractionem prædicta inuenies: à medio Solis motu, eius augem in secunda significatione deme aut ab eo & toto circulo: & residuum, erit argumentum Solis. Ad centrum Lunæ habendum, medium motum Solis, à medio motu Lunæ subtrahe: & residuum duplatum erit centrum Lunæ. In alijs vero planetis, cuiusuis eorum augem, à suo medio motu subtrahe: & quod superest, erit centrum medium: quòd si augem à medio motu, aut motum Solis à motu Lunæ subtrahere nequeas: fac vt paulo ante in Sole diximus.

Centra vera inuestigare. Propositio 5.

CEntra vera Veneris, Mercurij, Martis, Iouis, Saturni, duobus modis inuestigari queũt: iuxta duos modos quibus zodiacos inchoari posse diximus. Si igitur zodiaci ab oppositis augium inchoantur: ad centra vera disquirenda, primo, media per præcedentem quærito: & in zodiaco illius planetæ, cuius verum centrum quæris, medium centrum computabis: & computationis termino, deferentis ostensorem aptato. Erit quidem centrum verum, arcus limbi, ab auge illius planetæ, ad lineam veri motus epicycli interceptus. Si vero, iuxta libræ principium zodiaci inchoantur: medium motum planetæ (cuius centrum verum desideras) per secundam inuentum, in eius zodiaco supputabis: & supputationis termino, deferentis ostensorem adiungito. Erit quoque (vt in superiori modo) centrum verum, arcus in limbo, ab auge ad lineam veri motus epicycli (iuxta signorum successionem) inclusus.

¶ De Lunæ, Mercurij, Veneris, Martis, Iouis, Saturni argumentis. Propositio 6.

ARgumenta media Lunæ, Mercurij, & Veneris, eo inuestigantur modo, quo, & medij motus. Quapropter, cũ tempore completo ad instans, ad quod argumenta desideras, iuxta doctrinam secundæ, mediorum argumentorum tabulas ingredere. Trium vero superiorũ argumenta quæruntur, subtrahendo cuiusque eorum motum medium, à medio Solis motu: & residuum pro medio argumento seruando.

¶ Verum locum Solis inuenire. Propositio 7.

AD verum motum Solis habendum, eius argumentum per quartam prius disquire. Moxq;, signa & gradus argumenti in Solis zodiaco computans, sui deferentis ostensorem in computationis termino constitue. Quo facto, linea veri motus, Solis centro applicata, verum eius locum ostendet in limbo. Arcus vero limbi, ab ariete ad lineam ipsam interceptus, signorum serie seruata, verus eius motus dicetur. Si autem zodiaci iuxta libram inchoantur: mediũ motum Solis per secũdam inuentũ, in eius zodiaco supputabis: & vbi supputatio desiuerit: deferẽtis ostensor collocetur. Deinde linea veri motus, Solis cẽtro applicata, eius verũ locũ in limbo indicabit. Arcus autẽ limbi, ab ariete ad veri motus lineã, verus est Solis motus.

Verum motũ Solis inuenire iuxta secundã descriptionem zodiacorũ.

¶ De vero loco Lunæ. Propositio 8.

SI verum Lunæ locum expetis: in primis, eius medium motum per secundam: & centrum per quartam: & argumentum medium per sextam, inquire. Deinde, lineam veri motus epicycli, iuxta gradus & signa medij motus, in limbo constitue. Tertio, hærente opposito augis epicycli signo & gradui centri in æquationis centri circulo, ostensorem epicycli iuxta signa & gradus argumẽti circumactum in eodem

epicyclo adaptabis. Quarto, linea veri motus cētro Lunæ coniuncta, locum Lunæ indicabit in limbo: quod erat propositum. Vt tamen dicta facilius cō prehendas, præmittamus medium motum Lunæ tria signa, centrum etiam tria, argumentum vero quatuor continere. In primis igitur, circunuehatur deferēs: vt linea veri motus epicycli, sub cancri principio recta ponatur. Deinde, in circulo æquationis centri, oppositum augis epicycli puncto æquationis tertio signo centri accommodatæ, adhæreat. Tertio, ostensorem epicycli, iuxta quatuor signa argumenti, aptabis in epicyclo. Quarto lineam veri motus, centro Lunæ coniungito. Et principium vicesimiseptimi gradus geminorum (quem linea ipsa indicat in limbo) verus erit locus Lunæ. Super est omnibus ita compositis, ea, quæ molesta supputatione, per Alfonsi tabulas quæruntur, facile commonstrare: vtpote argumentum verum. Quod à linea veri motus epicycli ad ostensorem eiusdem epicycli protenditur. Aequationem quoq; argumenti conspicies, linea veri motus Lunæ, & veri motus epicycli comprehensam. æquatio vero centri, arcus est, linea augis mediæ, & linea veri motus epicycli comprehensus.

Exemplum

Inuentio veri argumēti

Mercurij, Veneris, Martis, Iouis, Saturni, verum locum, ac verum argumentum inuestigare. Propositio 9.

Mercurij, Veneris, necnon trium superiorum vera loca ita inquire, cuiusque eorum centrum medium per quartam, & argumentum medium per sextam disquire: mox, signa & gradus centri medij in zodiaco planetæ, cuius verum motum quæris, supputa: & supputationis termino, ostensorem sui deferentis adiungens, iuxta signa & gradus centri veri per quintam inuenti, oppositū augis epicycli in circulo æquationis constitue: si Mercurij, Martisve locum inquiras: aut augem eiusdem epicycli: si Veneris, Iouis, aut Saturni. Quanquam in primo libro satis dictum putemus: præ paruitate circulorum, in quibus minuta proportionalia & æquationes centrorū adnotantur, alios paulo maiores designatos fuisse: qui numeros signorum centri reciperent, & ea tantum puncta, quæ in inferioribus circulis adnotantur, ad institutum nostrum inseruire: quibus aux aut oppositum augis epicycli adhærebit: ne tamen, siue epicycli augem, siue oppositum collocando aberrares: id idem in hoc loco repetentes, te meminisse voluimus. Cæterum, epicycli ostensorem secundum signa & gradus argumenti, in eodem epicyclo constitue. Moxq;, linea veri motus, centro planetæ applicata, locum eius ostendet in limbo: quod erat propositum. Si autem zodiaci, iuxta vltimum describendi modum, circa libram inchoantur: medium motum per secundam inuentum, in zodiaco planetæ, cuius verum motum quæris, supputabis: ac in supputationis termino, deferentis ostensorem constitue. Deinde, secundum signa & gradus centri veri per quintam inuenti, oppositum augis epicycli, in æquationis circulo colloca: si Mercurij, Martisve locum quæris: aut eiusdem epicycli augem: si Veneris, Iouis, aut Saturni. Tertio, epicycli ostensorem secundum signa & gradus argumenti, & lineam veri motus (vt in priori dictum est modo) accommodabis: & gradus,

qui tunc in limbo monstratur, verus est planetæ locus. Non aliter quàm in Luna diximus: alia, quæ non sine molestia per Alfonsi tabulas quæruntur, inuenire poteris. Compositis itaq; omnibus, iuxta præsentem propositionē, arcus epicycli ab auge vera (quæ per lineam veri motus eiusdem epicycli dignoscitur) ad ostensorem epicycli deprehensus, argumentum verum dicatur. Arcus vero, linea veri motus planetæ, & veri motus epicycli comprehēsus, æquatio dicitur argumenti. Aequatio autem centri in epicyclo, auge media epicycli & vera intercipitur. Altera vero æquatio centri in zodiaco, arcus est limbi, inter centrum medium & verum interiacens: quæ quidem æquatio, per eam diuisionem zodiacorum, quæ in partes fit inæquales, centro medio additur: aut ab eodem demitur. Inde fit, vt cum medium cētrum in aliquo zodiacorum supputatur, verum emergat.

Argumētū verum.

Æquatio argumenti.

Æq̃tio cētri in epicyclo.

Æquatio cētri in zodiaco & quomodo cētro medio addatur aut ab eo demat ur.

❡De Lunæ tarditate & velocitate. Propositio 10.

SI argumentum verum Lunæ per octauam inuentum, minus fuerit tribus signis, aut plus nouem, tunc, cursu tarda dicitur. Si vero plus tribus, aut minus nouem fuerit, cursu velox. Si autem argumentum verum, tantum tria signa, aut tantum nouem contineat, erit cursu æqualis.

❡De capitis, aut caudę draconis vero motu. Propositio 11.

AD verum motum capitis draconis habendum, eius medium motum per secundam inquire: quem, à duodecim signis subtrahe. Et residuum erit verus motus.

❡De argumento latitudinis Lunæ medio aut vero. Propositio 12.

CVm verum motum capitis draconis per præcedentem inuentum, à medio motu Lunæ, aut ab eo & toto circulo subtraxeris: argumētum medium latitudinis Lunæ prodibit. Similiter, si à vero motu Lunæ, aut ab eo & toto circulo, eundem verum motum capitis ademeris, verum latitudinis argumentum relinques.

❡De ortu, & occasu planetarum. Propositio 13.

VEnus, & Mercurius, quatuor modis sese habent ad Solem. Primo, quum vespertino ortu oriuntur: &, propter elōgationem à Sole, vesperi post Solis occasum apparere incipiunt. Secundo, quum vespertino occasu occidunt: idq;, propter eorum accessum ad Solem. Tertio, quum ortu matutino exoriuntur: & Solis radios egressi, mane fiunt conspicui. Quarto, matutino occasu occidunt: & Solis radios ingressi, videri desinunt. Tres vero superiores, vesperi tantum occidunt: aut mane exoriuntur: non tamen occidunt mane, neq; exoriuntur vesperi. Si verum argumentum Veneris, ab vno gradu ad quatuor signa & septemdecim gradus fuerit, ortu vespertino orietur: à quatuor vero signis & septemdecim gradibus ad sex signa, in occasum tendit vespertinum: à sex signis, ad septem & tredecim gradus, in ortu erit matutino: sicut, à septem & tredecim gradibus

ad duodecim signa, in occasum matutinū. Mercurius vero, cū eius argumen tum verū, ab vno gradu ad tria signa & vigintiduos gradus fuerit, ad ortum vergit vespertinū: à tribus signis & vigintiduobus gradibus ad sex signa, in occasum vespertinū: à sex autē signis ad octo & octo gradus, in ortum matutinū: ab octo signis & octo gradibus ad duodecim signa in occasum matutinum. Cū autem argumētum alicuius trium superiorū, ab vno gradu ad sex signa fuerit: is, cuius est argumentū, in ortum declinat matutinū: in occasum vero vespertinum, cum à sex signis ad duodecim, argumētum protenditur.

¶De apparitione & occultatione planetarum sub radijs solaribus. Propositio 14.

Volens apparitionem aut occultationem planetarum inuestigare, eorū & Solis veros motus quæras in primis: móxque, inter verum motum Solis & illius (cuius occultationem quærit) minorem à maiori subtrahendo, differentiam sumat. Quæ, illius denominationem suscipiet: cuius verus motus est maior. Vt si Veneris occultationem aut apparitionem quæras: ac eius verus motus, maior sit vero Solis motu: differentia Veneris denominabitur. Deinde, si eius argumentum verum, ab vno gradu ad quatuor signa & septemdecim gradus fuerit, ortu exoriens vespertino apparebit, aut occultabitur. Cum signo igitur, in quo fuerit, ortus vespertini tabulam eidem Veneri accommodatam intrabis: quod si gradus ibidem inuenti, differentiæ gradibus plures fuerint: radijs solaribus occultabitur: sin pauciores, Solis radiorum egressa, vesperi conspicietur. At, si argumentum verum, à quatuor signis & septemdecim gradibus ad sex signa fuerit: in occasu vespertino latet, aut apparet. Cum signo igitur in quo fuerit, tabulam vespertini occasus ingredere: ac gradus ibidem inuentos ad differentiæ gradus (vt paulo ante) comparabis: qui si pauciores differentiæ gradibus fuerint, videri poterit: sin plures, occultabitur. Consimili modo ortus matutini tabulam, si argumentum verum a sex signis ad septem signa & tredecim gradus fuerit, aut occasus matutini tabulam, si idem argumentum à septem signis & tredecim gradibus ad duodecim signa fuerit intrabis. Et, vt de Venere diximus, ita de Mercurio dictum intellige: modo per præcedentem, eius ortum aut occasum fueris sciscitatus. Trium autē superiorū occultationes inuestigabis: cognita primo, inter eorum & Solis veros motus differētia: deinde, si quispiam eorum in vespertinū declinet occasum: cum signo, in quo fuerit, tabulam eius vespertini occasus ingredere: & si gradus ibidem inuenti, differentiæ gradibus pauciores fuerint: vesperi apparebit: sin plures, occultabitur. Si autem matutine oriatur: ortus matutini tabulam ingrediens, per gradus ibidem inuentos latitet an appareat, facile cognosces.

¶De tarditate & velocitate planetarum. Propositio 15.

Velox planeta dicitur, cum linea veri motus velocius q̄ medij, aut iuxta successionem signorum defertur. Tardus vero, cursúque diminutus, cum linea veri motus tardius q̄ medij, aut cōtra signorum seriem retrograditur.

¶Quando ascendens aut descendens, tam in eccentrico quàm epicyclo, planeta dicatur. Propositio 16.

SI centrum æquatum, ab vno gradu ad sex signa sese fuderit: gradatim in eccentrico descendet planeta. A sex vero signis ad duodecim, sese pedetentim attollens, ascendens dicetur. In epicyclo vero, cum ab vno gradu ad sex signa fuerit argumentum, descendens: cum à sex ad duodecim, ascendens nuncupabitur. Planeta igitur, qui tam eccentrici q̃ epicycli augibus propinquior fuerit, super alterum, qui ab ipsis remotior fuerit, eleuabitur: quod per ea (quæ diximus) perquã facile est cognitu.

¶De progressione aut regressione planetarum. Propositio 17.

DVobus modis directionem aut regressionem inueniri posse trademus. Prior, stationum tabulis innixus, eas cum cẽtro vero intrare iubet: ac stationem primã è regione inuentam adnotare: quam, stationem vltimo æquatam vocabis: si vltra gradus centri, non fuerint aliqua minuta: nam si fuerint, primo æquatam eam appellabis. Deinde, differentiam accipe, inter stationem cum signis & gradibus veri centri sumptam, & stationem correspondentẽ numero centrum verum per sex gradus superanti: quam differentiam, in sex partes diuide: idq́; quod numeri lineæ communis, senis gradibus sese superant: & ab vna earum, partem proportionalem accipe: secundum proportionem minutorum (quæ vltra gradus centri veri fuerint) ad sexaginta: atque hoc, aut per tabulam proportionum, aut per regulam proportionum. Per regulam quidem sic: accipies pro primo numero, sexaginta: pro secundo, minuta, quę sunt vltra gradus centri veri: pro tertio, vnam sex partium differentiæ diuisæ. Hanc igitur partem proportionalem, stationi primo æquatæ adde: modo, statio cum maiori numero sumpta fuerit maior: aut deme, si minor: & quod proueniet: erit statio vltimo æquata. Quòd si gradus centri veri, in linea numeri communis non inueneris: duplici quoq; introitu, tabulas intrabis: scilicet, cum numero ibidem inuento: qui cẽtro vero sit minor: & cũ numero maiori ibidem quoq; inuento, qui eodẽ centro vero sit maior. Deinde, inter stationes his introitibus inuentas, differentiam accipe, subtrahendo minorem à maiori. Hanc deinde differentiam, in sex partes diuidito: è quibus, tot stationi cum minori numero inuentæ addes: quot fuerint gradus, quibus cẽtrum verum, minorem numerum ibidem inuentum excedit: modo, statio cum maiori numero inuenta fuerit maior: aut totidem deme, ab eadem minoris numeri statione: si statio maioris numeri fuerit minor: & quod inde eueniet, stationem primo æquatam nuncupabis. Si vltra gradus centri veri fuerint aliqua minuta ab vna sex partium, partem proportionalem accipe, in ea proportione, in qua illa minuta se habent ad sexaginta. Quam partem proportionalem, æquationi primo

Prior mod⁹ inueniendi stationẽ primam.

æquatæ adde:aut ab eadẽ deme: vt paulo ante diximus:& proueniet prima statio vltimo æquata. Q uam subtrahe à duodecim signis, & residuum pro statione secunda seruato. Secundus modus stationem primam inueniendi, ostensoris motum in epicyclo obseruat. Hunc quidem modum secutus, deferentis ostensorem in planetæ zodiaco, iuxta signa & gradus centri medij, in primis constitue: mox'q; epicyclus, in circulo æquationis centri secũdum signa & gradus centri veri collocetur. Tertio, ostensor epicycli cum linea veri motus centro planetæ coniuncta, tandiu ab auge media circumagatur, signorum ordine seruato: quoad, linea veri motus centro planetæ semper coniuncta, contra signorum ordinem regredi incipiat. Erit enim arcus epicycli inter punctum, à quo regredi incipit, & augem veram interceptus, statio prima. Statio vero secunda, arcus ab auge vera, iuxta signorum successionem, ad punctum, à quo progredi incipit. Cæterum, hoc aut illo modo stationibus inuentis, si argumentum æquatum, in signis gradibus & minutis stationi primæ fuerit æquale: planeta tunc, statione prima erit stationarius. Si vero maius statione prima, minús'q; secunda fuerit: planeta erit regrediens. Cum autem argumentum verũ, stationi secundæ fuerit æquale: stabit tunc, statione secunda. Et argumento secundam superante stationem, aut à prima superato, progrediens siue directus planeta dicetur. Cum autem planeta fuerit directus: & directionis tempus aut momentum, in quo dirigi incepit, scire volueris: perpendito prius, sit ne argumentum verum statione secunda maius, aut prima statione minus, aut penitus nihil. Argumento stationem secundam superante, ipsam ab eo subtrahes: residuúm'q;, per motum argumenti planetæ in vno die, iuxta præceptionem in calce huius propositionis positam inuentum, diuides. Et numerus quotiens, dies ab initio directionis peractos signabit. Si autem aliquid diuidendum superfuerit: aut nulla facta diuisione, diuisor numerum diuidendum excesserit: quod superfuit, per sexaginta multiplica: quód'que collectum fuerit: per eundem modum vt prius diuide: vt in numero quotiente, minuta diei colligãtur. Non aliter facies, si quicquam adhuc diuidẽdum superfuerit: hoc addito, quòd numerus quotiens secunda, aut tertia diei, continebit. Tempus deinde per has diuisiones collectum, à tempore, ad quod locum planetæ inuestigasti, subtrahes. Et residuum, tempus erit, in quo planeta progredi incepit. At si argumentum verum, statione prima minus fuerit: stationem secundam, à duodecim signis deme: & residuum argumento coniunctum vt prius diuidito: seu, argumentum verum stationi primæ cõiunge: & aggregatum diuide: tempús'que ea diuisione collectum, vt paulo ante, subtrahito: quod'q; reliqueris, principium erit directionis. Si vero argumentum nihil fuerit: secundam stationem, à duodecim signis auferto: & residuum, vt prius diuide: seu, stationem primam (quæ æqualis est illi residuo) diuide: & tempus inde proueniens, vt ante subtrahito: & quod reliqueris, tempus erit directionis. Volens autem cognoscere, quando planeta regredi incipiet argumento stationem secũdam superante. Illud, à duodecim signis demito: ac residuum primæ stationi coniunctum, per motum argumenti in vno die diuide: & tempus inde collectũ,

Secundus modus stationem primam inueniendi.

Q uomodo planeta stationarius.

Si planeta fuerit directus siue progrediens, quãdo progredi icipit inuenire.

Planeta progrediente, quando regredi incipiet.

